TECHE
UDINE

MANOSCRITTI

FONDO PRINCIPALE

Manoscritto n. **P_MSS_0769**

Nel Fondo Principale sono confluiti la maggior parte dei lasciti manoscritti pervenuti alla Biblioteca Civica «Vincenzo Joppi» nel corso del tempo: si tratta perciò di un fondo composito nel quale è possibile trovare manoscritti di argomento liturgico, scientifico, giuridico, botanico e altro.

Collocazione:

Biblioteca Civica "Vincenzo Joppi", Udine
https://www.techeudine.it/fondo-principale
https://www.sbhu.it/

Cronache Latine

758
a
777

J

Vedi: Muratori – De Vitis et gestis Patriarcharum Aquilejensium. Auctore A. Bellini

769

DC

provenienza ?
Poteva spettare anche al Joppi.

Antonii Belloni

Gesta Patriarcharum Aquil.

Quos Aqvileja dedit Procerum dabit hocce libello
Aucthoris vitas, gestaq; summa fides.

usq; ad an. 1551

Quæ Patriarcharum per tempora barbara sęclum,
Transijt indoctum pennæ vel Historici.
Eruit hęc tabulis iuratus Scriba vetustis
Possit ut historicam sic superare fidem.
Jndicit tenebris bellum Belonus, et illis
Vndique disiectis lumina clara dedit.
Eius enim menti dat lumen Apollo, decusq;
Docta Minerva suum, verbaq; Mercurius.

Portius B.

Magnifico, & excellenti Iur. Cons. D.
Hieronymo Monteniano Antonius Bellonus
Scriba salutem.

In pauca contuli quęcunq; schedarum Tabellionicarum lectio multa mihi suppeditavit, ut rerum in Iulij Foro gestarum non modo Patriarcharum Aquilejensium, sed et Feudorum memoria simul apud Posteros hiberetur. hucusq; in alia non incidi, quin etiam negata fuit mihi facultas alia plereq; inspiciendi, quę apud quosdam inveniuntur in Protocollis cum plurium Scribarum antiquorum, et munus Tabellionatus seu negotium quoq; exhibuit. Legent alij magis familiares, ac forsitan scribent minus impediti. satis est mei iusta alicui reprehensioni obnoxium non esse, quod non oia complexus sim, aut serie frequenter, et pluribus locis interupta retulerim. collegi undecunq; bona fide, ac digessi, quę potui, quando ut volebam ubiq; non liceret. Opusculum vero tibi dedicandum censui, cum alijs multis nominibus, tum precipue, quod Antiquorum Patrie monumentorum studiosissimus, meiq; Amantissimus es. Obsecro legas, et utcunq; rudem, et puditum libellum animi mei promptitudine metiaris; quod si eo bene me posuisse operā indicaveris, haud repugnabo, quin tuo consilio, et auctoritate in Lucem exeat. immensa enim gloria est iuditio hominis probari, cum Natalibus, et fortunis clarissimi, tum imprimis doctrina, & iuditio prestantissimi. secus adversati lib. & ne edam, & eo quidem animo, quo in cęteris tibi ut obsequar curare solitus sum. verum ut voluntatis meę rationem planius intelligas, ita corrigas velim, & emendes, ubicunq; res exiget. ut si tuo quoq; iuditio publicandus unquam sit, non possim alicubi videri mendax, seu potius literarum bonarum oino ignarus. si quis forsan homo emunctioris naris in ipsum inciderit, nec etiam à quovis alio ad inimicitias unquam vocari. Ętas enim

Eius enim, et professio mea non minus (quod graviter doleo) a' lit:
teris cultoribus abstraxerunt, quam sum meopte ingenio a' menda:
cijs, et Inimicitijs alienissimus. Nec ambitio usque adeò me tenet
ut quempiam putem laborum suorum laude fraudari. Quando
fides, stylusq; operis, quidquid suppressi, seu intra penates contenti:
probam auctoris caussam tueri possunt. non autem arbitror
Vulcano tradendum aut digitis concerpendum esse, donec saltem
aliquid melius venerit in manus hominum. Quoties namq; verum
memoriam utcunq; tradant, incolumem servemus fide optima;
quod proprium Montaniana Gentis est; officium erga Patriam pium
praestamus, ut impium si contra curemus, aut sinamus. quod
ratio, et fortuna diu stare permiserint, ne funditus aboleri sinq.
Vale.

Index Patriarcharum

A

VII Agapithus. pag. 6
XII Augustinus p. 7 tergo
XIII Adelphus max. p. 8
XXVIII Andreas p. 15 t.
LXXVI Antonius Caiet p. 58 t
LXXVII Antonius e Portog. p. 59
LXXVIII Antonius de Ponte p. 60
LXXIX Aloysius p. 61. t.

B.

X Benedictus p. 7
LXIII Bertholdus p. 29
LXX Bertrandus p. 43 t.

C

XI Cromatius p. 7. t.
XXXIII Calistus p. 13. t
LXVIII Castronus p. 42. t.

D

LXXXIII Dominicus Grimanus p. 64

E

L. Eberardus p. 24.

F

VIII Fortunatianus p. 6. t.
XXVIII Felix p. 12. t.
XXXXIII Federicus p. 16.
LV. Fridericus p. 25

G

IV. Grysogomas p. 5. t.
VI Grysogomas p. 6
59. Gottefredus p. 27
LVII. Geraldus p. 26. t.
LIX. Gottifredus p. 27. t
LXIV Gregorius p. 32
LI Gottopoldus p. 24.

H.

II Hermagoras p. 5.
III Helerus p. 5. t.
XXIV Helias p. 11
XXXX Hentimarus p. 15. t.
L. Heberardus p. 24. doppio
LIV Henricus p. 25.
LXXXII Hermolaus p. 63
XXXXVI Hengelfredus p. 17.

J

XV Januarius p. 8
XXVI Joannes p. 11.
XXIX Joannes p. 12. t.
XXX Joannes p. 12. t.
XXXXVIII Joannes p. 20.
LXXV Joannes p. 56. t.

L

Lupus p. 16 XXXXI
Leo p. 17 XXXXIV
~~Lupus~~
Ludovicus p. 47 LXXII
Ludov.us de Thec p. 60. t. LXXVIIII

M.

I Marcus Evang. p. 5.
XIV Maximus p. 8.
XVIII Marcellianus p. 9
XIX Marcellinus p. 9. t.
XXI Macedonius p. 10.
XXVII Martianus p. 12 t.
XXXVII Maxentius p. 15. t.
LXXIII Marquardus p. 50. t.

LXXXI Marcus Barbo p. 61. t.
LXXXV. Marinus Erim.i p. 64.
LXXXVI Marcus Erim.i p. 64

N.

XVII Nicea – p. 8. t.
LXXI Nicolaus p. 45.
LXXXII Nicolaus donatus p. 64. t.

O

LXVII Ottobonus – p. 38. t.

P.

XXII Paulus p. 10
XXIII Probinus p. 11
XXXI Petrus p. 13
XXXV Paulinus p. 14
XXXXIX Poppo p. 21
LVIII. Peregrinus p. 26. t.
LXI. Peregrinus p. 28. t.
LXVI Petrus p. 37. t.
LXIX. Paganus p. 41
LXXIV. Philippus p. 53. t.

R.

XXXXVII Rodaldus p. 18
LII Ravongerius p. 24. t.
LXV Raymundus p. 34. t.

S.

XVI Secundus p. 8
XX. Stephanus p. 9
XXV Severus p. 11
XXXII Serenus p. 13
XXXIV Signadus p. 13. t.
LIII Sigheravdus p. 24. t.

T

V. Teodorus – p. 5. t.

V

IX Valerianus p. 6. t.
XXVII Vrbanus p. 12. t.
XXIX Venantius p. 13. t.
Valpertus p. 16 XXXXII
Ursus p. 17 XXXXV
Udalricus p. 25. LVI.
Voldaricus p. 27. t. LX
Volphekevus p. 29. t. LXII

Sono in tutti, se non falo Patriarchi
n.° 86. Dico LXXXVI

Antonij Belloni Scribæ Utin. de Vitis, et Gestis Patriarcharum Aquilejens.

Marcus. Hermagoras.

Christus Servator noster anno Augusti 41 natus, Tiberij 12 passus, cum in Cœlum ad Patrem ascendisset, Apostoli in diversas Provincias orbis, ut quisque sortitus fuerat, ad prædicandum abierunt. Petrus Romam concessit, ubi Eccl[es]ia est fundata, et stabilita est: Marcus ejus in Baptismate Filius Aquilejam (ne ad alios, quam ad Patriarchas transeam) venit, ubi Christum annunciavit, et Mariam Virginem, ex qua Deus ipse ortus est, auctor Mariæ, cui Eccl[es]ia Aquilejensis postea dedicata est. Scripsit Evangelium, quod in ea quondam, nunc in Fano Marci Venetijs honorificentius ac diligentius adservatur. Simulatque vero Aquilejenses ex ipso Xti doctrinam didicissent, Vitaque venerantes Lavacrum suscepissent, adscito Hermagora Comite Romam contendit, ut ipsum inviseret Apostolorum Principem, a quo Hermagoras ipso præsente Marco, Episcopatus Aquilejensis insignibus, mitra, et baculo primo redimitus est. Is Aquilejam repetens felici perinde successu, atque singulari prudentia Ecclesiam rexit. Nam seniores, et Levitas instituit, nec prædicatione solum, sed exemplo fecit ut homines Xtianæ pietati sese conjungerent. Interim Marcus Alexandriæ, quo missus rem Xtianam propagaverat, moritur anno Neronis 8vo. Unde corpus eius, duce Justiniano Patritio, delatum tandem Venetias fuit, imagoque in vexillis relata. Hermagoras vero an. 20 quo regere cœperat, et Fortunatus Archidiaconus, necnon eximiæ sanctitatis Virgines Euphemia, Dorothea, Theclaque martirio concidere, Nerone pro innata sævitia tunc in Xtianum nomen acerbius debacante.

Helerus. Prisogomas. Theodorus.

Extincto Hermagora, sufficitur Helerus vir pietate, et Religione insignis, qui populo Aquilejensi in fide confirmato, dum rebus Numerianus præesset, anno Episcopatus decimo cum Titiano Archidiacono, Dionysio Largo, et Felice martyr pro Xto animam alacriter exhalavit. Post Helerum Prisogomas ad Patriarchatum evectus Ecclesiam ornavit, et auxit. Annos vero cum decem sedisset, perijt. Huic Theodorus successit, qui Xti viam docere non destitit, donec

donec ad Martyrium raptus est; quod illi pro sui Eregis salute anno undecimo ab Episcopatu inito, feliciter contigit.

Chrisogonus, Agapithus.

Fecit mors, ut Chrisogonus alter non nisi anni dumtaxat Patriarchatum gesserit, ad quem velatus fuerat. Et Agapithus ipse de Religione benemerendi studium prosecutus anno sui Episcopatus XIII in humanis esse desijt. Per hæc tempora, si non fallor temporum ordine, Pupieni auspitijs Maximinus iuxta Aquilejam a militibus, dum in obsidione fame laborarent, cum filio obtruncatur, Templumque à Senatu Calvæ Veneri dedicatur in honorē Matronarum, quæ capillos funiculis ad sagittas in ipsos hostes emittendas condonassent. Quintilius quoque Claudij frater apud Aquileiam paucis post annis vulneribus confectus interijt. Imperatores ambo, sed à militibus ille, à Senatu hic declarati. Patriarcharum autem, quorum vel nomina vix adduci possunt ob scriptorum, ut suspicor, inopiam, vel temporum iniuriam in tantis rerum perturbationibus, brevis enumeratio sufficiat. Nam si quæ apud Hieronymum Venustum extabant vetustissima documenta, non desideraventur, hæc et alia pleraque compertius à me scribi, atque copiosius potuissent. Est igitur mihi in animo destinatum Cæsta dumtaxat in Patria sub Patriarchis, quæ tot clades et ruinæ nobis attulerint, brevissimo commentario, fide tamen summa complecti, seu quæ passim publicis ex instrumentis decerpta historiæ vicem peragant, cætera data opera prætermittere: utpote iam à probatissimis Auctoribus decantata, vise me vel non satis repugnantem vel parum forsan attentum alicubi transversum abripuerint.

Fortunatianus, Valerianus.

Nova hæreseos fecit, ut Fortunatianum oderint natione Afrum, quem præstantissimum alioquin Patriarcham haud dubie censuissent. edidit in Evangelia ordinatis titulis Comentaria. At Liberium Rom. Pontificem ab exilio, quod pro fide gratanter susceperat.

revocatum ad hereseos subscriptionem pertinacit, tempore, ut videtur, quo Constantinus Constanti fratri bellum inferens, ad Aquilejam insidijs exceptus, occiditur. Annos sedit plus minus 15.
Valerianum, qui in demortui locum suffectus est, Aquilejensis Eccla, ni fallor, habuit, cum Romana Pium Aquilejensem summum Nau-clerum sortita fuit, qui tempora Marci Antonij Veri attigit Philosophi appellati. sedit annos 16, suam omnem Christo functionem approbans, tum predicationibus, tum exemplo usqs adeo, ut Clerus Aquilejens quasi Beatorum chorus videretur.

Benedictus.

De Benedicto, qui successit, quia Reges impij a Xtianorum cruciatib tunc minime temperabant, et barbari universe Italiæ moliebantur excidia, aliud nihil affero, nisi quod anno 15, postqm ab eo presideri Ecclia Aquileiensis ceptum fuerat in vivis esse desijt. Cum autem ad nostra usqs tempora Pontifices annos vixerint 29 supra 200: Patriarchas vero numeverimus solos 67, vel Patriarchas, sive Episcopos diutius vixisse crediderim, quam scripta declarant, aut quorundam nomina sub illis verum Barbarorum tempestatibus in oblivionem abijsse, ob quas Vetusta Nobariorum monumenta pleraqs perijsse obscurum non est. Res a me tradentur exploratius, cum in ea tempora venero, quibus scribarum presidio veritas se ipsam tueri poterit, humiles quidem, nam a gestis in Foro Julij non discedam, sed minus obvie et legentibus controversis praestim neqquam injucunde. Unde alicubi nescio, que stijli varietas poterit legentes fortasse veluti suspensos tenere.

Chromatius; Augustinus.

Cum Ruffinus Presbyter Aquilejens non suis minus, quam d. Hieronymi trilinguis eruditionis atque controversia Principis, lucubrationibus vivens passim celebraretur, Chromatius in Patriarchatum adsumptus est. Vir religiosissimus non modo, sed et doctissimus: Hujus hortatu Hieronymus, cum sibi, cum eo mutuae usus fuerat, Matthei Evangelistæ librum de ortu B.æ V.is ex Hebraico in latinum transtulit Theodosij tempore, qui Maximum Tyrannum in Gratiani ultionem tertio ab Aquileja lapide sustulit. Chromatius, conversis ad veram pietatem quampluvimis, moritur tandem anno sui Patriarchatus XVIII. Augustinus Aquilejens. Ecclesiam, ad cujus Presulatum defuncto Chromatio, statim receptus fuerat, pari cum sanctitr opinione, paulo diutius administravit, an. ex. prefuit 19 populo eque charus, acceptusqs.

Adelphus, Maximus.

Non habeo quid in Patria sit gestum Adelpho, Maximoque Presulibus, ne quid mendacij intexam libello; tantum reperio hunc annos XX, illum VIIII Ecclesiam gubernatte. Nec mirum, sane frequens erat impetus Barbarorum, et rerum tranquilitati delijria quomodo Pelagianum, Nestorianum, Arrianum, et alia, ut et nostra ætate Lutheranum adversabantur.

Januarius, Secundus.

Cursitabatur ad martyrium pro Xti gloria sub Regibus impijs, unde afferri de Januario non aliud a me potest, neque de Secundo, nisi quod inter Patriarchas adnumerantur ambo, quodve ille an. 6, hic 9 sedit, religione, ac pietate inter temporum illorum calamitates continenter adiuta.

Nicæa.

Attila, qui se Dei flagellum appellabat, Hunnorum Rex, quos Hungaros dicimus, a pugna regrediens Chathalaunica, Foroiulensem Patriam implevit luctu, Nicæa Præsule. Civitatem Austriæ expugnavit, miseroque afflixit, Universam Provinciam flama, et ferro more barbarico depopulatas, Aquilejam maximam Italiæ Urbem, obsidione cinxit, triennalique funditus, quo magis fieret perspicua eius immanitas, evertit, non falso ductus Ciconiarum auspicio Pullos suos e turribus in agros ferentium. Pertinax heu! nimis, sagaxque in divitis urbis exitium. Sic Aquileia infelix Timavo suo iacibata, felix Romanorum Colonia, a quibus condita fuerat, armis barbarorum, quibus iminentibus est imposita, miserabiliter ad extremam internecionem deleta est; quæ (quod omnino miserandum) malo quodam fato in pristinum statum asseri nunquam quivit. Ajunt, Terra tunc in clivum congesta, Arcem Utinensem ab ipso conditam fuisse, communi omnium sententia finitimis populis comodissimam, ubi Patriæ Proceres forum agere solent. Sed tamen nescio, cur invisam rerum successu, quem non

fortuna magis, quam industria virtusque prosperiorem contulerit.
In codice Gradensis Ecclesiæ admodum vetusto videtur Utinum pro loco propterea collocatum, quod aliorum Oppidorum commoditatibus inserviret, in quo hæc seriatim nominantur: Utinum, Zociolum, Pinnonicum, Faganea, Varianum, Duæ Basilicæ, Helileus, Regunia, Furgaria, Osoppus, Bordanum, Cabatium, Virginee, Fageta, Nemas, Buga, Arthenea, Glemona, Elecium, Pulium, Tomistium, Jblinum, Gortum, Enemum, Sabelebum, Furnus, S. Daniel, Cymulai, Levatius, Cadubrium, Dardagus, Vicus novus, Aviscum, Campornum, S. Maurus, S. Petrus, S. Martinus, Cormonum, Muscia, Silionum, Cortona, Mironum, Pacianum, S. Cancianus, Butrium, Civilicus, Tubingeus, Nonus, Palazzolus, Cassiacus, Capella Riudana.
Ferunt Aquilejensium Familias e primarijs ad Urbem Venetam in extrema propè ora sinus Adriatici, dextro sydere paulo ante conditam, non paucas migrasse. Nicæa cum in tanta rerum perturbatione annos duos, et triginta sedisset, ab hostibus Xtiani nominis oppressus, Patriarchatum simul et vitam amisit.

Marcellianus Marcellinus.

Defuncto Nicæa Præsulatus Aquilejensis Marcelliano destinatur, quando Theodoricus Gothorum Rex, si male non digero temporum seriem, ut Zenoni rerum potienti morem gereret, duces Odoacris, qui ingentibus Thurolingorum, et Herulorum copijs annis 14 imperaverat, non procul Aquileja ad Amnem Sontium magno certamine profligavit. Ubi ea peregisset tum docendo, tum pascendo quæ ad Episcopum optimum pertinent, moritur Episcopatus sui anno XXIX. Suffectus in eius locum Marcellinus Anastasij temporibus, Basilicam suam magna solertia restituit, quam Attila precedentibus annis cum Urbe solo equaverat. Divinum auxit cultum, docens a simplicitate, puritateque animæ ne excidérent, quidquid affectus impie suppeditasset. anno periit 15°, quo regere cepit.

Stephanus. Macedonius.

Dum rerum Justinus potiretur natione Thrax, obscurissimis parentibus, moribus tamen non incompositis, ceu qui rem omnem

equo, et honesto metiebatur, Stephanus Patriarchatum, ad quem adsumptus fuerat, magna prudentia gubernavit. Provincia versa ad bonam frugem, anno XII periit sui Praesulatus. Iustini vero ex Sorore Nepote Iustiniano imperante Principe neutiquam inferiore Avunculo, si se non miseratter Eutichiano delirio, Macedonius Aquilejens. Ecclesiae gubernacula suscepit, qui officio universae Italiae non Aquilejensibus tantum communicato summa cum charitatis, pietatisque opinione anno XXVI sui Patriarchatus moritur.

Paulus

Langobardi, Rege Alboino, cum imperio Iustinus iunior praeesset, per patentem Foro Iulij portam cum coniugibus et liberis in Italiam irrupère, Paulo, qui pietatis erat, et humanitatis exemplar unicum, Aquilejensem Ecclesiam gubernante. Regem ipsum, Nepotemque Gisulphum Ducem Forojulianorum creatum, simulatque Civitatem Austriae ad internecionem penè primo impetu delevissent, non modo mitiores reddidit, sed ut se nunquam in officio non continerent, praestitit. Sunt enim omnes ferè barbari paulò asperiores, quam ut Italis copulari queant, nisi Episcopi humanitas aut mitiores faciat, aut ipsi nativam longi temporis convictu asperitatem excuant. Italiam itaque regentibus Langobardis, Patriarchas Cormonum inhabitasse memoria proditum est, antea ipsis Civitatem Austriae post excissam Aquilejam pro sede fuisse. Sive cladibus Civitatensium id accidisset, sive Romanorum metu, aut barbarorum potius, Gisulphum bello terribilem post Alboinum principatum tenuisse: mox Tkasonem, postea Acconem, inde Grasulphum, insuper Lupum, Vectarim deinde, praeterea Landulphum, et postremum omnium, praetermissis reliquis, Desyderium, qui Paulo Patriarchatus Aquilejensis Diacono ob ingenium, ac doctrinam plurimum detulit, ipsos Forojulij Ducatum, cum per principatus divisam Italiam tenebant, constat sibi, et posteris veluti hereditarium per manus quodam modo tradidisse. Patriarchas non alibi per haec tempora,

quam vere vitam exegisse ferunt religionis diversitate concordia plurimum discedente. Langobardi autem anno Dñi 776 post annos quatuor, et ducentos, quibus et Duces, ac Principes, præterquam in Urbe, passim egerant, ad internecionem deleti fuerunt; nec multo post Ducatus apud Forum Julij, in ipso Italiæ limine plane extinctus. Paulus interim Orcsal, ne quid acerbum, indignumve a barbaris pateretur, delato secum Ecclesiæ Thesauro, in Gradum Insulam se recepit, quam novam Aquilejam appellari iussit, et anno sui Patriarchatus XII. perijt, eximiæ sapientiæ nomine de se relicto, reformatis, et instauratis fere omnibus, quæ tum quorundam delirijs, et socordia, tum Barbarorum animis, et sævitia pessum jerant.

Probinus, Helias.

Probinus Paulo defuncto dignitatem Patriarchalem obtinuit. Is patientiam, quam sibi quotidie exercendam animadverterat, frequens esset in Langobardorum conspectu, qui suæ Sedis totam Provinciam occupaverant, in Gradensem Insulam propere concessit, ubi anno primo perijt. In Probini demortui locum suffectus est Helijas, qui prolapsus in hæresim, capita tria rejecit Calcedonensis Synodi, quæ 630 Episcoporum consensu recepta fuerat. Verum haud ita multo post, errorem fassus, reliquum vitæ tempus absque delirio ullo exegit; Synodum Pelagio Pontifice iubente habuit Episcoporum viginti, qua Gradensis Ecclesia, non alioqui magnopere celebris in totius Venetiæ Metropolim relata honorem ipsum diu non retinuit. Heraclius Imperator ad Helijam misit Marci cathedram, et epistolam quandam Pelagius hoc certe digniorem laude, quo magis dubites Gregorius, qui eam Cardinalis tunc composuerat, postea creatus Pontifex Max., et demum inter Divos relatus, eruditior ne esset, an sanctior. Ubi Helijas posito delirio habuisset, prius mori, quam Religioni diffidere amplius decretis Synodalibus, ne dum palam contradicere, diem obijt Patriarchatus anno XXII.

Severus, Ioannes

Religionem, et Fidem Severi, qui Helijæ successit, Ravennas Episcopus impietate sua fœdavit: usus enim opera Smaragdi Patricij, qui hominem cum tribus alijs Episcopis ignominiose pertraxerat, in hæresim compulit, in ultionem tanti sceleris Smaragdum vexante Dæmone. Severus ad Fidē

Sponte

sponte reversus, tum honori divino, tum suae, et gregis saluti consuluit, neminem postea passus est ab eius colloquio non emendatiorem discedere. Cum autem interijsset ab initio Pontificatus anno XV, Joannes Abbas ab Agilulpho Langobardorum Rege Aquilejensi Ecclesiae praeficitur, et a Gregorio Rom.° Pontif.e Candianus in Gradensi collocatur. Ne pro metropoli, si forsan bifariam fuisset divisum, Gradenses Aquilejensium letitiam turbarent, Joannem vetus Aquileja Patriarcha sortita est, nova Candianum uno eodemque tempore, illum Regi probatum, hunc Pontifici, ut cognitu difficile sit, num scisma illud improbavint mortales, an magis acclamatione celebravint; non enim Rex alium sumpserat, non alium Pontifex, utrumque comitaretur fortuna, quam ipsi metropoli universe merito preesse posset.

Martianus, Felix.

De Martiano, et Felice aliud literarum monumentis non invenio traditum, preterquam quod ille annos tres, hic XIIII sederit, adeo charus Langobardorum Regi, ut Felici semper plura impenderit, quam expectasset, ne re non esset perinde Felix, ut nomine.

Joannes, Joannes.

Quid de Joanne dicam? scriptum profecto non aliud reperio, nisi quod Praesules successerint ejusdem nominis duo; sedisse alterum annos 9, alterum 10, tempore sicuti conjicio, quo Bavari Rege Cacano oppressis pene primo incursu Langobardorum Regibus proditione Romildae, quam perdite Rex amabat, usque adeo longe, lateque impleverunt Patriam populationibus, et incendijs, ut in ea tandem nihil esset reliqui, quod non vertisse omnino fatum cerneretur, amore solo mulierculae (proh scelus!) tantam saevitiam provocante.
Irrupit toties barbarus infestissimis signis (ab ejus enim furore quies nunquam fuit) toties evertit, aut occupavit Patriam, incensis etiam ipsis Scribarum monumentis, unde nobis rerum cognitio, temporumque ratio certior petenda erat, quae presertim vix ex omni parte fidem impleant, quae ab alijs, quam a Scribis publicis sint conscripta, ut quid quoque anno, quibusve Patriarchis gestum sit in Foro, quod Julius ille Caesar, quia venalia a negotiationibus in illud tuto

undequaque fieri deberent, olim restituendum susceperat, haud facile queat dignosci. Nec satis fuit turbasse, spoliasse, combussisse Provinciam, nisi scripta flamis tradidisset, et quod inhumanius fuit, eos qui scripsissent, truculentis animis etiam iugulassent.

Petrus, Serenus

Patriarchatum, Joanne vita functo, Petrus consequutus est, cum Justinianus Imperio praeesset. Synodum adversus Sextam a Constantino Patre Constantinopoli habitam, qua non unam duntaxat voluntatem, et operationem in Xto decretum fuerat, Aquileja indixit; Orthodoxis omnibus imprimis Rom.o Pontif.e reclamantibus. Invenio Berengarium Regem, ut animum erga S. Eccl.am probaret suum, anno ab Incarnatione D.ni 914 sese contulisse massaritias in Comitatu Foro Julensi p.tro Petro de Cast.o Julij; sic enim in diplomate vocat, ne sinam apud Carnos tanti Viri memoriam exolescere, in Lauco, Levaco, Lagunae, Vinidia, Rengis et Vargo, cum vineis, pratis, pascuis, sylvis, montibus, vallibus, et planitiebus, quae in Carnea sitae sunt. Et septimo abinde anno, proprium sive castellum Sabornianum reperio, incerto tamen authore, ab ipso traditum Patriarchae, ut ad arcendos hostes propugnaculis, balistisque communiret, et expresse vetitum, ne quis eo loco praeterquam Patriarcha ius diceret, aut possideret. Petrus ubi sedisset annos XIII obijt. Serenus in eius locum sufficitur, qui nullo genere officij, quod optimum deceret Episcopum, praetermisso, moritur, anno vix plene vertente, quo ad Pontificatum Aquilejensem adscitus fuisset.

Callistus, Signadus.

Jam dictum, quod honor quivis amplissimus conciderat, et qui ad Patriarchale fastigium conscendisset, non nisi apud Cormonum residere ausum. Obstabant sane Foro-Julani Duces, et a ducibus praefecti Episcopi ex nescio quo Regis Rotharis instituto; ut singulis Civitatibus Episcopi duo, alter Arrianus, Orthodoxus alter pari potestate praeessent. Callistus ubi titulum Patriarchalem accepit, nil distulit, quin, Amatore ex Austria Civitate pulso, qui Fedevici demortui locum Episcopatui suffectus fuerat, domicilium sibi, ac Successoribus sedem vindicaret, ne Episcopum sibi aequari, quinimo ab eo superari in Patriarchali solio turpiter pateretur. Ferunt Pemonem Bellionis filium Forojulianorum Ducem aegro animo tulisse, et Patriarcham statim comprehensum, ut in mare daret praecipitem, in castellum Pontium traxisse. Luitprandum Langobardorum Regem, re cognita, confestim submovisse Pemonem Ducatus honore, et Rachi ejus Filio adscripsisse, omnibus fere, qui duci faverint,

in carcerem mittis: Demonem fugam parantem, quod ius manum in Patriarcham injicienti nullum sibi fuisset, in Regis gratiam denique per Filium redijsse. Callistus Civitatem, quam, pulso Senatore, incolendam susceperat, Basilica, et palatio insignivit; et tandem apud Regem ei venia contigit, quod ad res agendas strenuus Episcopum dejecisset, quam laus et gloria simul, quod maioribus ipse clarissimis ortus morem non suoe, sed in Civitate residendi Patriarchis quondam assuetum, quamquam diu intermissum, singulari industria revocasset. Annum cum primu et quadragesimum absolvisset in Pontificatu moritur ingenti desiderio de se relicto. Successit Callisto Signadus, de quo tametsi sederit apud eandem Civitatem annos duos, et quadraginta, integer integros, nil aliud habetur certi, nisi quod ipsam, cuius erat amantissimus, multipliciter exornavit, perinde atque nihil eque sibi propositum esset in uita, quam Callistum per omnia imitari.

Paulinus

Successit Paulinus inter Patriarchas precipui nominis circiter id tempus, quo Langobardi, capto Desyderio eorum Rege, Italiæ Regnum amiserunt, anno, ut diximus, quarto, et ducentesimo, postquam in Julij Forum descenderant, Gothis, qui octuagenos prope annos regnaverant, non multo ante deletis. Fuit Paulinus pietate, ac Vitæ sanctimonia usque adeo rare preditus, ut pares ei Præsules minime multos invenias. Nam in optandis Patriarchis non semper habita ratio Stemmatis, quam magis probitatis. Præmariaci ortum, qui vicus est proximus Austriæ Civitati, et Religione, qua xtianum hominem decet a pueris ibi imbutum constat, et qualem Aquilejenses expectabant Pastorem, omnibus talem se prestitisse. Is cum Provincia clades à Bavaris, incomodaque plura accepisset, Romam ad Carolum petijt ob res gestas cognomento Magnum, ut Patriarchali dignitati, atque omnium securitati prospiceret. Imperator clades miseratus, Paulinum, cum summa cura laborasset, nequid suæ Ecclesiæ deperiret, novis auctum privilegijs, ac honestatum dimisit. Episcopatus sex benigne et concessit praeante Leone 3° Rom° Pontif.e: Concordiensem, Utinensem, Raginensem, Petenensem, Tarsatiensem, et qui apud Civitatem Novam in Hystria constitutus est. Extat Privilegium, adhuc literis scriptum Langobardis apud Basilicam Utinensem, authenticum perinde, ut vetustum, et tam ubique integrum, ut ne litteræ quidem vestigium legens desideret; inde sumptum a me exemplum literis cultioribus Utinenses gratia satis illustri numeratis sex aureis excepere, quod quidam lynceos habentem oculos inter scribas; et Cives, honoratissimi mecum perceansuerunt palam, fideque optima subscriptae firmarunt.

Paulinus cum sedisset annos [illegible] de Deo, et hominibus benemeritus, moritur, omnibus ferme collacrymantibus, sepeliturq; in Basilica Civitatensi et pluribus clarus miraculis deniq; in Sanctos relatus est. Cuius corpus diu collapsa à fundamentis Basilica restitueretur, ætate nostra repertum est.

Urbanus, Maxentius.

Cum Noricis monte Carolus in Forum Julij tandem descendens Tarvisinos gravibus supplicijs affecisset, quod Henricum Præfectum trucidassent, Urbanus ad Patriarchatum adscitus Ecclesiam suam Gradensi Plebe spoliari reclamavit, Venerio tunc Patriarcham Gradensem agente; annos 5 cum sedisset diem obijt. Maxentius, qui in eius demortui locum suffectus fuerat, per Lotharium Ludovici Imperatoris Filium procurante Synodi sententia, quæ ab Eugenio Rom.o Pontif. apud Mantuam indicta erat, Venerius Plebem restituit. Maxentius igitur officio suo recte functus est, si cum Venerio apud Synodum putavit sibi non agendum, secus quam Iustitia postularet; nec alia ratione, quam non ut sibi, sed Ecclesiæ suæ prodesset. Vixit in Patriarchatu annos XVI.

Andreas, Venantius, Hentimarus.

Andreas demandato sibi munere Patriarchali Gradensem Plebem Aquilejensi Ecclesiæ adiudicari iterum obtinuit, Synodi sentis sententia, sedente Leone tertio IIII, Lotharioq; imperante, ut insequentium temporum facilius sustentaretur, si quis eas postea occupare conaretur. Annos cum 10 exercuisset, præstitissetq; Patriarcham probum, fato concessit, De cuius successore Venantio nihil affertur, quam quod an. XIII sedit. Inde Hentimarus Patriarchale munus obijt: suæ Sedis jura, dignitatemq; tueri nunquam destitit, et Gradensis Plebis confirmationem denuo Papiæ impetravit eodem Lothario, Filioque Ludovico rerum potientibus, ut decretum tot probatum Synodis, firmius esse pergeret, quam ut quispiam Plebem amplius usurpare posset, aut eius se participem agere; cum eò profecisset malitia hominum, ut neq; à Clericis, neq; a Laicis, modo res posset ex voto suo cedere, injuria abstineretur. Anno tandem Patriarchatus sui XXI ex humanis decessit.

Lupus, Valpertus, Federicus.

Lupum inde Patriarcham creatum Imperator idem Ludovicus par censuit esse protegendum suscipere, nequis Patriarchalem dignitatem minuere [illegible]. Siquidem adversus incessentes titulo protectionis hujusmodi præmunitior æstimandus esset, quam si nullius Principis fretus auxilio solus mansisset.

Valpertus in locum Lupi demortui sufficitur, qui Carolum secundum Ludovici Filium cognomento Calvum Romam ad Joannem 8.um Pontificem Max. proficiscentem, ut ab eo corona imperij donaretur, honoris gratia prosecutus est. Aliud non extat de ipsis, quod alicujus authoritate tueri queam, nisi quod hic annos 6. et 20. in Patriarchatu vixit, ille tres tantum. Surrogatus in Valperti defuncti locum Federicus Patriarchali dignitate insignitus est. Vir humanissimi, mitissimique ingenij, quippe qui singulari comitate, et modestia didicisset monstra vel Scythica et captare, et in officio retinere, quæ armis alioqui coercere nunquam potuisset. Caroli enim III cognomento Crasso imperante, Hungaros in Pannoniam egressos, quæ Aquilejensi Ecclesiæ ditioni iungitur, ex Bavaria, ubi non nihil [illegible] resederant, in Italiam moventes, humanitate, ac modestia [illegible] tantum repressit, ut Italia abstinuerint; secus aut delevissent funditus, aut crudelem in modum afflictam in ditionem suam redegissent. Scythæ in devastandis Provincijs nihil pensi habentes, ita Julij Forum [illegible] comitate cum reliqua Italia Scythicæ immanitatis metu liberatum est. Fuit præterea Federicus Vir præterquam quod humanissimus, etiam liberalissimus, miserias pauperum sustentare eleemosijnis assuetus, viam in cœlum sibi munivisse creditur, quod utinam tam vere sit consecutus, quod inscriptum eius sepulcro apud Aquilejensem Basilicam Epithaphium bene indicat.

Moritur tandem, et in ea sepelitur post annum Patriarchatus sui tertium, et quinquagesimum.

Leo, Ursus, Hengelfredus.

Leo creatur Patriarcha, tempore, quo Stirps Caroli magni titulos imperij amisit, Berengariusq; arripuit Foro-Julianus dux, à Langobardis Regibus oriundus, quorum dum repeteret regnum, Ludovicum devicit Arnulphi quondam Imperatoris Filium, Luminibusque privavit. Pollebant tunc Aquilejens. Patriarchæ plurimum inter Principes, non usq; adeò tamen, quin aliquando vitijs hominum invalescentibus, cum præcipuè ditionem, imunitatesq; tueri conarentur, in vitæ discrimen inciderent. Itaq; Leo dum libertate Ecclesiæ spoliari se pati nollet, a Rodoaldo quodam Langobardo confossus interijt. Bona eius haud ita multo post Principes ob tantum crimen Aquilejensi Ecclesiæ publicanda censuere: sedit an. XXII. Cum autem Berengarius secundus à Rodulpho Burgundiorum Rege pulsus ab Italia, ad Hungaros confugisset, Patriarchatum Ursus inijt, Ecclesiæ rem auxit, prudentissimeq; administravit. Nam ab Hugone, qui Italiæ regnum occupaverat, et à Lothario eius Filio, quem Berengario superato, Italiæ regem reliquerat, Natisa amne donatus est, qui inferius etiam amphora nominatur, et Placito de Sculdasia, quæ dicitur Ampliano, ne à verbis privilegij discedam. Infirmos, et pauperes, quod est Pastoris proprium, tum consolando, tum pascendo mitissime iuvit, omnes, haud aliter, quam charissima membra, curæ habens. Moritur tandem, et sepelitur apud Basilicã Civitaten. anno ab initio Præsulatus tertio, et vigesimo. post quẽ Hengelfredus in Patriarchatu, ad quem adlectus fuerat statim, annos totidem vixit Vir optimus, qui non modo nobilissimus, a Berengario secundo, qui Italiæ an. 7 imperavit, more ab Othone, qui primus Germanorum Imperij corona donatus fuit, immunitatibus, privilegijsq; pulcherrimis insignitus est, postquam per Julij Forum Italiam Berengarium ipsum ad obsequium compulisset. Nec reperire est Patriarcham quempiam, qui non opes Ecclesiæ in successores suos integras, et auctas transmittendas curavit.

Rodaldus.

Defuncto Hengelfredo Patriarchale munus adeptus est Rodaldus
non generis non splendore, sed animi quoque praestantia nobilissimus.
Huic bona Rodoaldi illius Langobardi, a quo Leonem paulo ante in=
teremptum diximus, pleraque Othones dono dederunt 2dus et 3tius,
data quoque antea decreti eorum authoritate valida perpetuo
esse iusserunt Imperatores ambo pietatis, et munificentiae, reique mili=
taris gloria praestantissimi. Secundo Primi filius fuit ex Aluda
Lotharij filia, qui simulatque Italiam cum millibus quinquaginta
hominum per patentem Foro-Julij campum ingressus, Berengarium
Albertumque regno depulerat, e carcere ductam uxorem duxit, a
quo Gregorius Quintus ad Pontificatum vestitutus, Lege, quae adhuc
servatur, sanxit, Imperatorem Germanum esse oportere; nimis, ut
aiunt, facile persuasus, quod Germania sua semper bellica virtute
nationes reliquas antecelleret. Ex diplomate verba sumam ipsius
Imperatoris, ut scriptis plus et fidei, et authoritatis accedat: ea ad
hunc sonant modum = Abbatiam de Sesto cum universis perti=
= nentijs, et quidquid Rodaldus, qui Leonem Patriarcham interfecit
= possidere visus est Aquileiae, et in cunctis Foroiulanis finibus, nec
= non omnes res, et proprietates Azzoni, quas per Praeceptorum paginas
= nuper de Berengario divae memoriae aquisivit, et quidquid de
= iure parentum ei obvenit. Item in praenominato Comitatu Foro-
= Juliensi in Vico Pasiano, seu in Corbiano, vel in Ronchas, aut in
= Praeberdiaco, aut in Auliarzico, atque in Foliano, vel in Morzione,
= nec non Castrum, quod vocatur Farra cum omnibus suis pertinentijs
= intus, et foris, et quidquid inter Flumen Liquentiam, inter duas
= sorores, et viam publicam, quam Stratam Ungarorum vocant, interiacet,
= usque ad littus maris, Venerab. Patriarchae Rodaldo, et per eum
= suaeque Ecclesiae, suisque Successoribus nostra Imperiali authoritate, a nostro
= Jure et Dominio sequestramus, et in eius, suorumque Successorum
= Jus, et dominium omnino transfundimus, et delegamus habendi
= potestatem, omni contradictione remota; quare nullus Dux, marchio,
= Comes, Vicecomes, aut Sculdatius, seu aliqua Persona in praedictis Locis
= habeat potestatem placitum tenendi, aut aliquam datione, vel redhibitione

=requirendi, nisi solius Ecclẽæ Aquilejens. Pontifex, vel ejus Vicarius.
Apponam, et verba ex altero Othonis diplomate, quæ ut minimè sunt
infra Majestatem Imperatoriam, ita nec esse indigna, ut à Scriba referantur:
= Postulationibus Rodaldi Patriarchæ S. Aquilejens. Ecclẽæ aures
= nostræ pietatis accomodantes, corroboramus, et firmamus eidẽ Ecclẽæ,
= atque Patriarchis ibi pro tempore constitutis Castra de Duga, Phagagna,
= Groanch, Udene, Brattan, cum omnibus pertinentijs tres tenentibus
= milliarios, ut homines infra hunc terminum habitantes ad nullũ pla:
= citum, et ad nullam districtionem eant, nisi ad Patriarchalē Potentiã,
= neque alicui censum reddant, neque ullus herbaticum homo tollat, sed
= cuncta, quæ infra ipsius terminum sita sunt, in ipsius potestate, suorumque
= successorum sint. .: Sunt et hæc Othonis ex alio diplomate:
= Damus, et concedimus Rodaldo Patriarchæ Aquilejens., et Successoribus
= suis in perpetuum omnia iura Ecclẽæ Aquilejentis, et ulterius specialiter
= cortem unam, vocatam Lunas, cum centum Mansis, cortem, quæ vocatur,
= Maniach, cum triginta mansis, quibus superaddimus 10 Mansos,
= pariterque Montem Maniacum, et Plebem S. Mauri cũ 6 Casalibus,
= quibus superiungimus sese, quæ omnia determinantur, atque discernuntur
= infra decursum aquæ Celinæ, et rivi vocati Torrens, et Ecclẽæ S.ᵃᵉ
= Mariæ, quæ vocatur Mercandelle, nec non omnes alias Cortes,
= et Plebes, quas Ecclẽa Aquilej. possidebat. Insuper largimur eidem
= Patriarchæ, et successoribus suis, ne aliqui homines, et residentes
= in terris Aquilej. Ecclẽæ collectam, vel aliquam publicã redhibitionẽ
= solvant, neque placitum custodiant, nisi ante præsentiam Dñi Patri:
= archæ, vel eius Officialium .:. Rursus et infrascripta addo ex
alio diplomate :: Damus, donamus, et concedimus perpetuò
= Rodaldo Patriarchæ Aquilej., suisque Successoribus Castrum in loco
= nuncupato Intercitas subtus Cormons cum omnibus suis perti:
= nentijs. Accedunt et hæc Othonis ex alio diplomate: =
= Transferimus tibi Rodaldo Patriarchæ Aquilej. duas Cortes, unam
= Cortem de Versia, et cortem S. Viti cum omnibus iuribus, et
= pertinentijs ad ipsas Cortes intus, et in circuitu pertinentibus.
At Rodaldus rerum Ecclẽæ suæ Procurator, et Defensor optimus, vità
tandem decessit, Patriarchatus anno 20., et 40., quem honestissima
quoque Almi fama post cineres ob liberalitatem egregiam comitabur.

Quoniam verò superius in Privilegio de aqua Celinę mentio fit, haud absurdum puto proferre in medium, habita ratione magis antiquitatis agri: tu, quam meę diligentię Epithaphia, ue puero, at Celinam inventa, quę diu latuerant; digna profecto, ut illis antiquitatibus honor praestetur, et etiam antiqua non essent.

C. Verginio suavissimo Filiolo
Rarę pulchritudinis, et lepiditatis
Adolescentulo
~~Protto de Ponte~~ Ab Aquilianis militibus
Protto de Ponte Sapro colliso
Aqua miserabiliter extracto
C. Verginius Legatus, L. Postumij Dies.
et Lolia, L. Filia dilectiss. Coniux
Infelicitss. Parentes posuere.

Plutoni, et Proserpinae
C. Hostilius, et P. Egnatius Veitor
Quintadecima Legionis Tribuni
Pro S. P. Q. R. cum barbaris dimicantes
Pariter occisi heic pariter iacent
Singulare posteris exemplum
et charitatis, et fortitudinis
Celinenses
XXI dies atrati luxerunt.

Joannes

Joanni, qui Rodaldo successit, Otho 3.us sexc Episcopatus, quibus à Carolo Magno diximus divum Paulinum honestatum fuisse, nec non tres Abbatias S. Mariae ab Organo, Sexti, et à Valle, ad cęlestem respiciens vitam confirmavit, condonavitq; et ne pietatis, ac benignitatis erga Aquil. Eccleām exemplum aliquod pretermitteret, Siligani, Foritieq. dimidium anno primo supra millesimum ab

Incarnatione Dni; sub his verbis largitus est =
= Damus, et donamus cum omni iure Joanni Patriarchę, et Eccleæ
= Aquilej.æ medietatem unius Castelli dicti Saligani, et medietatem
= unius Villæ, quæ Sclavonica Lingua vocatur Goritia; nec non me=
= dietatem omnium domorum, Vinearum, Camporum, Pascuorũ, herba=
= ticorum, placitorum, Collectarum, angariarum, molendinorum, aquarũ
= Piscationum, Sylvarum, pabuliticorum; Venationum, nec non omniũ
= rerum, quas in illis locis Saligani, et Goritiæ, vel in finibus locorũ
= qui sunt inter Isontium, et Vippacum, et Ortaona, atq; iuga
= alpium, cum finibus, et omnibus iuribus antedictis. Concedimus
= insuper omnes Villas in Contrata Foro Julij tam in terra de
= Patriarchatu, quam in terra de Concordiæ Episcopatu, et Sex=
= tensis Abbatiæ, sive in terra Bonorum hominum qui sine here=
= dibus mortui sunt cum omnibus pertinentijs dictarum Villarum,
= et circumunnaquamq; ipsarum per duos miliarios ex omni parte
= adjacentes. Damus etiam supradicta Ecclæ, atq; largimur
= omne illud herbaticum, quod publicæ rei exactores a famulis,
= vel a liberis in terra prędicta Ecclæ habitantibus sive scusabis
= de montanis in herbam venientibus per Fecariam, et Petrafictam,
= nec non per Clusam de Aventione, vel ubicunq; transeuntibus
= exigere solebant, nullam sibi, vel juri suo partem penitus reservando.
Joannes quoq; Patriarcha Gradi Plebem ab Ursone se Gradentem gerente
coram Divo illo Henrico Bavarici sanguinis maxime celebri, qui im=
perij Corona donatus a Bonifacio 8.o Rom.o Pont. creditur, cęlebs
vixisse cum Sinigunda uxore sanctissima Fęmina, pertinatius
retineri conquestus est. moritur tandem XIX a Pręsulatu inito.

Poppo.

Viso Concilij Decreto tam Romæ, quam Ravennæ habiti secundo,
Popponem in locum Joannis demortui suffectum proclamata
Gradi Plebe excedere iussus est, nec non titulum Patriarchæ Gradens.
ipsum, prędecessoresq; sibi perperam usurpasse denuo declaratum.
Poppo interim thesauros omnes, quos in Gradi Insulam a Paulo
metu

metu Langobardicæ imanitatis antea convectos non ignorabat, cum libris, Calijcibus, Paramentis, Vasisq. aureis, et argenteis, nec non cum Evan: gelio, quod Marcus manu sua græce scripserat, Sanctorumq. corporibus Aquilejensi Basilicæ reddidit, ipsamq. non hostium maleficio minus labefactatam, quam vetustate collapsam, ductis porphyreticis colum nis, ingenti sumptu à fundamentis restituit; nec non præsente Conrado, cui Joannes XI Sum. Pont. vatum suo assensu Imperium fecerat, cum Cardinalibus duobus, et Episcopis 20, Beatissimæ Virgini solemniter consecravit, ab ipso Joanne missis ex Urbe Marci Pontificis, et Quirini Episcopi martyris corporibus, aliorumq. Sanctorum Reliquijs Templum insignius redditum est.
Dibio privilegijs aucta, ut Patriarchæ Aquil. tanquam Primati, Tergestinus, Emoniensis, Polensis, Parentinus, Justinopolitanus, Concordiensis, Cenetensis, Feltrensis, Bellunensis, Patavinus, Vicentinus, Veronensis, Tridentinus, Mantuanus, et Cumanus Episcopi tenerentur in appellatione obtemperare. Quod Con: radus authoritate sua Imperiali non modo comprobavit, verum etiam multa pietatis, amorisq. significatione alijs largitionibus ampliavit: verba ex eius diplomate hæc sunt = Concedimus,
= ex perpetuo damus Popponi Patriarchæ et Aquil. Ecclesiæ
= quandam Sylvam in Pago Forojulij in Comitatu Varienti Comitis
= incipientem à Flumine Soncij usq. ad mare, et sic subtus stratam
= quæ vulgo dicitur Ungarorum, usque in illum Locum, ubi Fluvius
= flumen nascitur, et ita deorsum per flumen usque ad terminum
= qui est inter prædium Ocini hospitis, quod vocatur Cortis Naoni,
= et inter prædium S. Sexti Albanæ, et usq. ad flumen Medunæ,
= secus eius decursum usq. ad flumen Liquentiæ, et usq. ad Liquentiæ
= introitum in mare; ita quod nemo de cætero in dicto foresto, et
= Sylva, absq. licentia dicti Patriarchæ, et successorum suorum ha:
= beat potestatem; anno M.XXVIII. Post Henricus 3.ius Imperator bello strenuus in diplomate an. salutis M.XL. ista tradidit =
= Popponis dignis petitionibus aures nostras depulares accomodan:
= tes, corroboravimus, atq. huius præcepti Regalis pagina largimur
= S.tæ Aquilejen. Eccleæ, eiusq. Rectoribus, qui pro tempore fuerint
= omnes Episcopatus, Abbatias, Plebes, Monasteria, tam Monachorum,

= quam etiam Puellarum, nec non Xenodochia, Castella, Telonea, Ripatica,
= Villas, Foresta, omnesq. eiusdem Ecclẽ possessiones, quas ipsa Ecclesia
= olim per precepta Regum, sive Imperatorum, nec non privilegia
= Apostolicorum usq. modo visa est possidere. Et ubicunq. supra
= terram eiusdem Ecclẽ residentes greges pascere videntur, nulli
= Herbaticum, sive escarium dare, nisi Aquilejen. Ecclẽ, et Popponi
= Patriarchæ suisq. Successoribus placita, et constrictiones, collectas,
= atq. Angarias, Forum, et Suffragia, seu omnes publicas functiones
= de castellis, Villis Terræ Aquilejensis Ecclẽ, et de universis ho:
= minibus inter eiusdem terras Ecclẽ habitantibus, quę Antecessores
= Nostri suo Antecessori Ioanni Patriarchæ, suisq. Prędecessoribus per
= diversas Preceptorum paginas contulerunt. Eodemq. ordine, ut
= ut nullus Dux, Marchio, Comes, nullusq. Regni nostri magna, vel
= parva Persona in castellis, seu Villis supradictæ Ecclẽ placitum,
= aut collectas facere, vel homines angariare presumat preter pre:
= libatum Popponem Patriarcham suosq. successores qui Aquil. Ecclẽ
= Sedem possidere videbuntur. Ad dictæ Aquilejen. Ecclẽ Patriarcha vel
= Iudex, vel a suo Latere Nuntius in iam dictis Castellis et Villis placitet,
= et si lites inter eos exortæ fuerint, legali iudicio, vel legalis missus
= potestative determinet. Patriarcha autem Poppo extra Aquilejæ
mœnia Monasterium extruxit, magnisq. proventibus, et donis locupletavit
non voluptatis, sed ęternę parandæ salutis gratia, et ut Virgines inclusæ
necessarijs vitæ subsidijs nunquam destitutæ lucu, delicijsq. contemptis
seorsum viverent tam religiose, ut in quibuscunq. periculis possent iure op:
timo apud deum deprecatrices adhiberi. Belimiæ Abbatiam, Ecclamq.
sub D. Martini nõe construxit, proventuq. perpetuo honoravit in memo:
riam fortassis victoriæ contra Maximinum, cui quondam in obsidione,
ut discimus, Aquilejæ laboranti, Belenus Deus, quem interpretamur
Apollinem, obstitisse ferebatur. ubi sedisset annos 4 et 20, moritur no:
men Vener. Patriarchæ apud posteros consecutus, sepeliturq. in medio Aquil.^is
Ecclẽ, nec se fefellit, qui sepulcro inscripsit:

Poppo Sacerdotum Lux, et decus Ecclesiarum,
Gloria Romani Spes simul Imperij.

Nam ad supremum usq. diem ingenium ad sarcienda Ecclẽ dignitatem accom:
modavit, et ad augendam vires suas omnes promptissime attulit.

Heberardus, Pottopoldus.

Heberardum mores boni Pontificatu dignum fecerunt, ipsius tamen Pastoris, qui honorem nominis tantum retinet, alia non habetur memoria, nisi q̄d 5. sedit annos. Praefectus est post eum Pottopoldus, qui Ecclesiam S. multis insignitam, auctamq; privilegiis reddidit. huius precibus Plebs Gradi, quam Praedecessores ereptam sibi toties graviter questi sunt, ab Henrico 3.° Imp. et Alexandro II Pont. multarum Synodorum, Principumq; authoritate subnixis, denuo restituta est; ut noscamus in Aquilejen. Sede propter Plebem quidquid juris non ambigui tergo quaterq; laboratum. Episcopatibus item 16 cum regalibus renovato privilegio ipsa Sedes exculta. Aedificavit Canonicis Regularibus Monasterium S. Stephani ad Aquileiam, quod postea incolendum Secularibus traditum in desolationem pene obijt. Ducatus Forojulij cum Marchia Hystriae, bonisq; alijs Ecclesiae dono datis ab ipso Summae Lenitatis Imperatore, qui quam alioquin Pontifici summo adversatus sit. Verum administrato per annos 10 Patriarchatu miser efflavit animam, miserum dici, nam talem indicat sepulcro insculptum Epithaphium, a me de industria praetermissum, quod emunctioris naris hominibus omnino diffidam credi tuto posse.

Ravongerius, Sigradus.

In demortui Pottopoldi locum Ravongerius in Patriarchali Sede prefectus est, de quo nihil habetur, quod in medium adduci possit, praeter annos 4 Patriarchatus, quos vix egressus periit. Sigrado autem Successori idem Henricus Imp. liberalitatem non vulgarem exhibuit; nam Ecclesiae Aquilejen. Marchiam Carniolae, aliaq; loca dono dedit; et quo magis eius pietas emineret, ab alijs data confirmavit, Urb.° 2.° Pont. M. itidem omnia comprobante. Ab hoc Antistite multi ex Carnia Murat, Tribuctiam, Avelianum, Villam, S.ti Helisaeum, Poijmam, Farlam, Bujam, et alia quaedam loca magna frequentia petierunt, ea ut incolerent cum coniugibus, et liberis, tum ut agros incultos primum proscinderent, dum accurate prius expendissent, ne coniugratio male cederet, ac valeret, impetrarunt ab Incarnat.e Dni an. 1067. 4.to id. Obiit. Sigradi indicio suffragantes quoq; Poskeriores subscripsere Henricus, Fridericus, Udalricus, ut a Waltero postea descriptum ab Authentico legimus. Nec Carnis arbitror male cessisse, Pars est, ut congerat, nullo prorsus laboris genere abstinens, cum magna cognatorum manu longe progredi ad terendum catervatim solita, ut nesciam ullus nesit labor reliquus, quin Carni, si perinde corporis, ut animi praestet vigor; non denique peragant. Moritur Sigradus anno ab initio Patriarchatus decimo.

Henricus, Fridericus, Udalricus.

De Henrico, et Friderico nil extat, quod posteris testari possim, preterquam quod annos sex ille vixit Patriarcha, unum hic duntaxat. Quibus defunctis Udalricus Patre Meijnardo Goritie Comite, Antistes Aquilejen. creatus est. Huic Pascalem 2.do Pont. Max., quoniam Episcopos ab Henrico 4.o delectos auctoritate sua confirmare detrectasset, captum Imperator ipse custodiendum tradidit, erga quem se non veluti Custodem Udalricus gessit, sed ministrum, ac servum habuit, ut nec melior Dnus videretur, nec deterior servus, quippe qui ne minimam quidem occasionem pretermisit, qua insigne reddi eius modestie, et servitutis testimonium posset. Nec parum ex sententia cessit, a Pontif.e enim facto libero, cui sedes Episcopales tum armis tum emptis suffragijs occupate videbantur non solum Episcoporum confirmationem, sed pacem, et Imperij coronam quoq. extorsit, licet ea mox a Bracharensi Episcopo se denuo insigniendum curaverit, quod eam a Pontif.e quodam modo invitis diceretur expressisse. Quoniam vero ea captivitas nec dura Pontifici, nec Imperatori probrosa fuerat, ob suavitatem, dexteritatemq. custodis, ab utroq. auctus multis Patriarcha honoribus fuit. Is anno sexag.mo supra mill.m Religione percitus Rosatij monasterium, Basilicamq. in honorem B. Petri extruxit Abbate Geraldo constituto sub regula S. Benedicti, multisq. collatis donis, ac proventibus additis, ex Agro Olearum fundis decem, quos patrio more mansos vocamus, ex Agro Caseliani a Prato quibusdam alijs, accesserunt ijs ex Meijnardi Patris eius liberalitate fundi 140, adiecta ab Henrico eius fratre Brazani Plebe cum Capellis filiabus, decimis, et Quartesijs, ac Basilica S. Ioannis Corm.i, cum nonnullis montibus, nec non Basilica S. Andree, cum quibusdam fundis ex Agro Iustinopolitano, addidit Henricus fundos ex Agro Plecij, cum montibus adiacentibus, ex Agris Sedule, utriusq. Boriane maioris, et minoris, Pobalchi, Creda, Melische, Gresche, Liciusche supra Tulminum, Idria, Livine, Vallis, Roncine, Modrusea, Desle, Obersehi, Podegori, Lucinicha, Morsa, S. Laurentij in collibus S. Martini, Cosbani, Tusche, Cormoni, Medee, Verse, Romansi, Viglesi, Incaranzachi, Buttavia, Locavizzi, et fundo uno trans flumen Vipaci, sub oppido Dorimbergi. Oblati sunt et a Meijnardo, Marquardo, et Henrico, alijsq. Goritianis Com.bus fundi in

In Carsis ex Agris Cesanę, Seriachę, Merzanę, Danę, S.tæ Marię sub oppido Cesanę, S. Crucis, Udalachę, Dobraulichę, Codinæ, Sropæ, Scopulachi, Sabravizi, Piscavizi, Sovianti, Vosizæ, Albarellæ, et Selzachi, et quamplurimis alijs, Monasterium Rosacij liberalitate Comitum Goritianorum ne dicam profusione tam opulentum redditur. Patriarcha, quemadmodum in actis Walteri invenio editis a Domi: nico Tabellione, in Casarana prope Castellerum, non abnuente Volfrado Comite Advocato suo, Vitelio Monticellum, et Maris Pontum, qui dicitur Lemen usque ad columnam cum Sacello D. Laurentij largi: tus est. Castella de Trevem et Tivem ab Oldarico, eiusque Parentibus Comite Volfrado, et Emma dono Patriarchatui tradita, cum omnibus, quæ circa Lacum de Ossia possidebant, ac in Valle de Trevem Wilanich, Quarzach, et Taerich Federicus Imp.or sua authoritate confirmavit. Ubi Patriarcha annis septem, et triginta Aquilejen. sedi præfuisset, vita abijt.

Geraldus, Peregrinus.

Geraldus Patria Forojuliensis Vico Premariaci ortus, cui Oppidum Aus= triæ propinquum dicimus, Paulini tantum natalibus celebri ad Patri= archatum evectus est, qui æmulatione probitatis, ac Sanctimoniæ cum Conterraneo certavit, ut ex utriusliber vita, et administrandi ordine veram charitatem crederetur e Cęlo ad mortales redijsse. Marchia Carniolæ ab Henrico IV Imp.re Henrici 3.ij Filio dono data Geraldo anno Sal. sept.mo sup. mill.mo fecit, ut eius nomen desidera: bilius adhuc esset, sed cum in Præsulatu vixisset annos XII, moritur. In demortui locum Peregrinus sufficitur, a quo Henricus 2.dus Pont. Max., cum Aquilejam pervenisset, exceptus est magna veneratione. Affuit hic Patriarcha, quando Lotharius ab Inoc.o 2.do Pon.e Pont. quem in pristinam dignitatem ex Gallia Romam reduxerat, Impe: rij coronam accepit, a quo non prius abeundi facultatem petijt, quam collecto favore et gratia omnibus Regalibus donatus fuisset. Adduntur ex huius Præsulis munificentia Arnisio Abbati Rosacio Plebs Budrij, anno triges.mo quinto sup. centes.o et mill.mo, Plebs Honichsteni, Decima Cuschæ, fundi undecim ex Agro Camini, mons Luichi, Faber unus in Civitate Austriæ, et Carpentarius unus in Orsaria.

Odalricus Aquilejen. Archidiaconus ad liberalitatem invitatus, et ipso presente Patriarcha fundos quatuor ex Agro Tricesmi in usum luminaris S. Petri condonavit. In Castro Frisachi Conradus Salzburgensis Episcopus, et Romanus Gurzentis decimam Patriarchæ solvere sponte se obligavit. Et Engildertus Eberstayn, Melfradus de Treven, Dietricus, et Fratres, Meynardus, et plerique alij, quod id fere omnibus fieri placeret, obligationem solvendæ decimæ ex æquali iure sibi suscipiendam putarunt, ac si per universam Regionem vota pro rebus Ecclesiæ augendis publice suscepta fuissent. Super hæc iniit Peregrinus transactionem cum Goritiano Comite, quasquam Goritiæ, quam Morpargi oppida deprehenditur feuda esse Aquilejen. Ecclesiæ: Utinam tam ab incendio, quam a tineis tuta sit cum reliquis veteribus diplomatibus, quæ nec ulli præbetur videndi copia, nec depromuntur [illegible] Penetissimo Sacrario, in quo nullius comodo, aut voluptati, sed suo tantum exitio iacent quod ne utile sit, an secus, ipsi, ad quos pertinet, viderint. At Peregrinus bene, et ex sententia quantum in eo fuit, administrata Ecclesia anno Patriarchatus sui XXXI naturæ concessit.

Gottifredus, Udalricus.

Post Peregrinum Gottifredus honorem Patriarchalem adeptus est a magnis Regibus ducens originem, tantum de homine habeo, quod ei reddita fuit ab Othone 4.° Rom. Imp.re Marchia Carnioliæ anno 1208, Ludovico Bavarorum Rege, qui occupaverat, non abnuente. Cum vero prudenter et mature gessisset annos 12 administrationem Ecclesiæ, moritur. In demortui locum adscribitur Udalricus 2dus, qui Apostlicæ Sedis Legatum egerat. A Pontificibus max.is Adriano 4.° et Alexandro 3.tio Privilegia impetravit, omnia suis maioribus concessa rata fieri, et confirmari, ut Ecclesiæ suæ dignitati sedulo consuleret. Obtinuit Imperialia, et Regalia a Federico Ænobarbo suo Consanguineo, quem Adrianus ipse Coronæ insignibus donaverat. Marchiam item Hystriæ, Treven, Tiven, Carnioliam, Forojulij ducatum, et quidquid Castellorum, Prædiorumque est inter Plavam, et Liquentiam amnes; Addidit Federicus montem Silicis cum omnibus, quæ pertinent, ad quotquot passuum millia porrigantur. Postea vero quam, cum Alexandro

Cum Alexandro 3.° paribus animis Pacem post longam discordiam Venetijs inijt, cum tanta bonorum omnium Lætitia nil distulit, quin crearet Patriarcham totius Italiæ Gubernatorem. Sed a moribus Christianorum Principum facessant dissidia, unde rerum, et virium urgente tenuitate nobis extrema pernities nascitur. Henricus interim, qui se Gradentem Patriarcham gerebat, cessit palam suvi metropolitico Episcopatibus, Iurisdictionibus, Thesauris a Poppone Grado quondam evectis, nec non prædijs omnibus, quæ ex Agris Aquilejæ, Mossani, et Tervulavium sibi per iniuriam vindicaverat. Latisanæ Plebem duntaxat, ac S. Floræ in ea pactione sibi reservavit, et nihilo secius Patriarchæ Aquilejæ Quartam decimarum ipsarum Plebium liberè liceret accipere. Udalricus tandem anno sui Patriarchatus XX perijt, cum nunquam Ecclesiam suam indiligenter habuisset.

Peregrinus

Almericus Novocastrensis, et Viglenda eius Coniux coram Peregrino, qui Udalrico successit, fundos decem Romulo Concordien. Episcopo dono dederunt, sicut Petrus Melsius Antonium Civitatens. testatur scriptum reliquisse. Fuerunt ambo scribæ publici: quattuor ex Agro Succolio, tres ex Agro Mossani propè Salictum, ex Colle Gaij duos, et unum ex Agro Castellonis an. Natalij Dni 96 sup. centes.m et mill.o: Et ipsos statim ab eo Emini nomine receperunt cum colle, ubi ceptum Solimbergi oppidum absolverent, et ea Lege, ut Episcopo semper pateret, dimidiumque fructuum ex ipsis fundis quotannis pendi deberet. Per hæc tempora Tarvisini suis freti viribus ceperunt nobis esse formidabiles, pro liberis municipibus arma in Patriarcham vertentes Patriam incursionibus patentem ferè universam occuparunt. Soli Utinenses non modo sese Urbe deijci passi non sunt, verum etiam interfecto quodam Caminate, qui magno terrore dux fuerat, animos suis omnibus restituerunt. Romanus Pontifex, tum Venetis præcepit Tarvisinos monerent, ut ab armis discederent ipsis alioqui Patribus se a navigijs sub pœna Anathematis interdicturum. Missus tandem a Pontif.e M.o Legatus, Peregrino instante, ad rapti occupatique relaxationem Tarvisinos coegit. Patriarcha inde rebus compositis ad exornandas Basilicas conversus, Civitatensem splendidè reparatam donis multis ex auro, argento, gemisque auxit, Tabula imprimis ex argento cælato, Aquilejensem tamen longe insigniori, quam Veneti, qui Patriarcham non aliquæ sui nominis familiaritate sibi coniunxerant, multò post in pignus acceptam, mox B. Marci Thesauro adscriptam, nunc summa veneratione custodiunt. Nec defuit contentio inter Peregrinum et Meinardum Comitem Goritianum, quid quantumcumque Engilbertus eius Pater ob id soleret præstare et Lucrari, quod Advocatum egisset Aquilejensis Eccles.; eisdem enim Comitibus

Comitibus id muneris ex institutione maiorum dabatur, et quidem continua serie, ne quem unquam deteriorem Ecclẽa haberet Successorem Advocatum sortita; Cum a Patriarcharum iniuria, nequidem ab illis, qui se vocant Feudatarios, et Censuales, temperarentur. Contentionem Dietricus Fontibonus, Heberdus Pertistajnus, Folcherius Dorimbergius, et Peregrinus Fabelis, ut Petrus Imperialis Scriba memoriæ prodidit, informatione sumpta, concordi arbitrio in Austria Civitate sopiverunt, salutis nræ anno 1202 id. decemb. Moritur Peregrinus anno sui Patriarchatus XIV.

Volphcherius.

Henricus 6.tus a Celestino 3.o Pont. Max., Otho 4.us ab Inoc.o 3.o, et ab Henrico 3.o Federicus 2.dus Imperij infulis redimiti sunt, qui Volphcherio in locum demortui Patriarchæ suffecto omnia, quæ Aquilejen. Ecclẽæ Imperatorum, et Principum pietate concessa fuerant, iura, privilegiaq. confirmarunt. Marchionatum Hystriæ, quem Bavariæ Dux Ludovicus, compulsus Principum iudicio, relaxaverat, Federicus addidit, et castra Treven, et Tivein, inde Carnioliæ marchiam anno 1210 confirmavit: Otho montem Silicis. Erat ipsis Principibus iure opt.o pertinatam, ut victoriam ex huiusmodi Acquisitionibus vivi, saltem mortui optatissimam reportarent. Quod vero Patriarchis dumtaxat, nequaquam alijs Imperium Sanguinis attributis ipsius Othonis diploma sub his verbis indicat = Attendentes clarissima merita, = et obsequia dilecti Principis Nri Volphcherij Aquil. Patriarchæ, quæ Nrã = Personæ, et Imperio hactenus laudabiliter exhibuit, et quotidie circa honorem, et = profectum Imperij tota virtute noscitur exhibere; ducatum Forojulij cum omni = iure, et pertinentijs suis, et sanguinolentum denarium, scil. scrutas, plagas, vul= = nera, homicidia, furta quoq. et omnia maleficia, quæ ad correctionem, et Bannũ = Principum spectare noscuntur. Insuper et omnes transactiones, et conventiones = inter Peregrinum Patriarcham, et Meijnardum Comitem, et inter Voldaricũ Patriarcham = et Engelbertum Co.m sup. Advocatia, et alijs factas, et privilegijs, aut alijs Authen= = ticis scripturis roboratas sibi, et Successoribus eius in perpetuũ Regali auth.te = confirmamus, et presenti pagina nostro sigillo roborata communimus, sancientes = quod nulli memorata iuditia, vel aliquid ad ius Ducatus spectans, nisi P. Eũ, aut suos = Successores liceat pertractari =. Cæterum Volphcherium aiunt inter Patriarchas Sanctos miraculis editis censendum esse. matri non nihil ad doloris tolerantiam quod secum abduceret patenti erectũ brachium mortuum commisisse, Tumbamq. marmoream, cui cadaver ap. Aquilejen. Basilicam illatũ fuerat, in aere diu pependisse. Tandem Patriarchatus annos egressus tredecim fato functus est.

Bertoldus.

Bertoldus Epus Colozensis, Divæ Elisabethæ Avunculus, Patriarchæ Aquilejen. titulo donatus est, cum in Transpadana Italia Ezzelinus Patavinus cognomento Romanus Tyrannidem exerceret, Patavijq. Antonius Ulisipponensis perijsset, qui Utini quoq. Verbum Dni predicaverat, Patriarcha sanè ad magnas res obeundas peridoneus, ut

30 ut Ducis Meraniæ Filium agnoscas. Persuasum habuit, gloriam sibi posse
nullam speciosiorem contingere, quam quæ eius opera simul sibi, et Ecclesiæ
quæreretur. Eius itaq. opera factum fuit, ut sententiam, qua Ugo Hostiensis,
et Veletrensis Episcopus Legatus Sedis Apostcæ Curtes Meduli, S. Pauli Castellu, Curi:
amq. Canippæ; nec non quidquid ab amne Liquentiæ est usq. ad ducatu Meraniæ,
et à montibus ad mare usque ꝑ totum Forum Julij; Monasterium Rosi, et alia
pleraq. Patriarchatui à Tarvisinis relaxanda pronuntiaverat, Honorius tertius
Sum. Pont. privilegio confirmavit: cum in ijs omnibus, quæ sedi adiacta Aquilejen:
iam fuerant, perinde ius habere, atq. in re propria Tarvisini conarentur.
A Federico 2do Aquisgrani coronato, multa perorans privilegia impetravit, ante:
quàm invisior factus a Greg. IX Pont. Max. diris peteretur. Vero exscriptus
Imperatoris diplomate, quod concessit in obsidione Brixiæ anno Salut. triges.mo
supra mill.m et ducentes.o VIII idus Oct. ad hunc sonant modum =
= Notum fieri volumus Universis Imperij Fidelibus tam præsentibus, quam futuris
= quod Dilectus Princeps noster Bertoldus Vener. Patriarcha Aquilæ. in nostra
= proposuit præsentia constitutus, quod cum quidam in Foro Julij, et in Hystria
= existentes, qui à Prædecessoribus suis, vel ab ipso per Aquilejensem Ecclesiam infeu:
= dati sunt, in mansis paucis, vel pluribus, et quoniam quidam in eis obtine:
= bant advocatiam, gratia conferentis, ijdem infeudati privatis eorum
= utilitatibus, et suis proventibus non contenti de Furtis, et alijs Criminalibus
= caulis, et pœnis iudicium sanguinis inferentibus, et de quibusdam, quæ spectant
= ad merum, et mixtum Imperium, quæ omnia pertinent ad Iurisdictioné ejusd.
= Principis nostri ratione Regalium, se auctoritate propria temerè intromittunt,
= ex hoc tantum, sicut dicitur, quod mansos cum omni iure obtinent, ad Iuris
= iniuriam attendentes. Quare nostræ Celsitudini supplicavit; ut cum hæc
= Bona tam Prædecessores sui, quam ipse Imperij authoritate obtineant, digna:
= remur temeritati repugnantium obviare, et Iurisdictionem servare integrè
= mandaremus. Cum igitur spectet ad Imperatoriam ~~dignitatem~~ Maiestatem
= Principum nostrorum iuri prospicere, attendentes insuper per immensam de:
= votionem prædicti nostri Principis Vener. Patriarchæ; quem ad nostra, et
= Imperij servitia, semper et ubiq. paratum, et expositum invenimus, ut in
= sua Iurisdictione iniuriam, vel incomodum non incurrat, prædictam abusivam
= consuetudinem ab eisdem infeudatis inventam, vel hactenus approbatam,
= penitùs abolemus, præsentis Scripti auctoritate generaliter inhibentes, quod
= nulli eorundem Infeudatorum in Foro Julij, vel in Hystria de cætero liceat
= occasione mansi, sive mansorum, quos ab Aquilejensi Ecclesia feudaliter ob:
= tinere noscuntur vel prætextu Advocatiæ, vel occasione præscripta, quod mansos
= cum omni iure obtinent, cum verbum ipsum cum omni iure privatas, et
= annexas ipsis mansis utilitates exponat; de Criminalibus caulis, Furtis, Fusti:
= gationibus, vel consimilibus, quæ ad iudicium sanguinis, vel merum et mixtum Impe:
= rium sapiunt, cognoscere, vel temerè se intromittere sine prædicti Patriarchæ indul:
= gentia, vel mandato audeant, sed tantum idem Patriarcha, et Officiales sui, quos
= auctoritate ordinariæ iurisdictionis loco, et vice sua duxerit deputandos prædictam

Jurisdictionem exerceant, sicut decet = In altero diplomate Tybure dato anno 1232 Imperator ipse sic inquit = Volumus, quod liceat dicto Bertoldo = Patriarchæ bannire, et disbandire quoslibet in iurisdictione sua. Item quod non = liceat Civitatibus, Castellis, et Villis, quæ subsunt Patriarchæ, eligere per se po= testates, Consules, vel Rectores præter voluntatem ipsius Patriarchæ =

Is marchas argenti quadringentas Goritiæ Comiti Meynardo tradidit, nec non Sedeglianum Feudi nomine, S. Laurentium, et Griglorium. Dimisit Latisanæ proprietatem, et Mar.s 4., quos ex vectigalibus Aquilejæ annuatim Comes accipiebat. Contra vero Comite imperata Donationis tantummodo faciente, Castella Lonciy, et Rossestayni, Portumque Latisanæ Ecclesiæ suæ asservit, et omnem, quam ubicumque Comes proprietatem haberet, qui adscriptam dum= taxat sibi munere voluit Pritinicum, Campaneram, et Blanchavam, et quidquid Federico Castlidiorum Comiti ab ipso Goritiano in Feudum accessisset, ut scribit Omnibonius Regalis Aulæ Tabellio. Liberalè pariter Ulricus Sterimbergi comes erga Ecclesiam S. Principem agens castellum donavit, et Provinciam Lotti, quam Bertrandus post centum ferè annos Hermano concessit Ordemburgi Comiti, ut Aquilejensis Ecclesia ipso in rebus bellicis adiutore, minus Rebelles hostesque externos formidaret. Addo, quod Bertoldi, parentumque eius munere Aquilejensis Ecclesia mirifice aucta fuit collatis ex Patrimonio fundis quamplurimis in Karinthia, Carnio= lia, Marchia, et Oppido, Provinciaque ipsa Vindisgratij. Adiecit et Patriarchæ Frater quidquid sibi iuris competeret in Hystriæ Marchionatu. At cum diris obnoxio Imperatori, constantius adhæreret, a quo ad Præ= sulatus huiusmodi fastigium lectus fuerat se Pontificis execrationi simul involvit; Romam enim proficiscentem eum Austriæ, et Karin= thiæ Duces, Rex Boemiæ, aliique Proceres honoris gratia prosecuti sunt. Pastor optimus tributa Utinensibus non modo non augenda censuit, sed omnia perpetuo, et in totum tollenda auctore Asquinico Notario anno 1223. id. Sept. . Numina vero nobis, proh dolor! infausta paucis abhinc annis subsidiorum nomina infestissima invexerunt. Tradit Joannes Lupicus, quod ipsomet die terram Patavinus emere Pa= triarcha pollicitus est, quatuordecim excitarentur Palatia, statuitque in unumquodque ex æquilibrio impendi ad libras mille, et quatuor absol= vi debere quolibet Magistratu: Affuisse testes Henricum Fontebonum et Henricum Manzanum. Bertoldus demum absolutione obtenta suam Aquilejensem Ecclesiam ingrediens cum graviter cespitasset hæc dixit: hæc requies mea in sæculum sæculi; ubi extructo sepulcro tandem ponitur anno, a quo præcitè cepisset vigesimo tertio.

Gregorius.

Ab Innocentio 4.° Rom. Pont. Gregorius Montelongus Patriarcha
creatur anno Dñi quinquag.^mo 2.° supra ducentes.^m et milles.^m, qui antequam
creatus esset, Ecclesiam S.^{tam} Aquilejen. antequam ei Præesset, inviserat.
Vir profecto magni altiq. animi, et consilij, Laboris patientissimus.
Functus fuerat Civitatis Bononiensis Legatione, et eo Duce Ferraria ad Rom.^{am}
Ecclesiam jampridem redierat. Bella contra multos ad Pontificis nutum
gessit, tam ense sciens, quam utilite rem Ecclesiasticam tueri. Dux ipse
exercitus Parmensibus auxilio fuit, et erumpentibus ipsis Federicum
adum Imperio privatum, et in Parmæ obsidione frustra biennio
laborantem, castris rerum copia refertis, haud segniter spoliavit,
tentorijs in Basilicam Civitatensem inde relatis. Est et Ecclesiæ suæ tu=
tatus iura, et acriter quidem adversus Ulricum Karinthiæ Ducem,
a quo tandem obtinuit an. D. 1261 Castella Guardenghe, Laybaci,
Gorzachi, Ortimburchi, Volchimbergi, Iglemi, et Osuspergi, et alia
loca quædam, quæ tamen omnia ipsi; ne vestignatio quam fecerat, male
cessisse videretur, illico in Feudum concedere non neglexit. Anno
vero sequenti Philippus Ulrici Frater Electus Ecclesiæ Salzpurgensis
consensu suo comprobavit, Vir æquè moribus probus, ac Natalibus Clarus.
Mox agitato negocio Pacem Ulricus cum Patriarcha inijt, et Ecclesiæ
Aquilejen. Agros ad Sivem, et Trevem ab Ulrico Sterimbergi Comite
et ab alijs se mille marchis redempturum pollicitus est. Seq. autem
ne videretur redemptionem irritam suscepisse Castellum suo Netenvas
cum annuo quoq. proventu marcharum sexaginta, absq. ullo discrimine
S. Ecclesiæ se daturum promisit. Ulricus iterum anno D. 1279 Civi=
tatem Laybacensem cum omnibus suis prædijs testamento reliquit,
caritq. si quisq. per ipsam abstrahere tentaret Ecclesiæ Aquilejensi ad
duo millia marcharum argenti solvere teneretur. Nec ab instituto
destiterunt Goritiani Comites, a quibus Patriarcha continuè infestabatur,
sive a proprietatibus Latisanæ, Loncij, aut Potestatajm, vel alia de
re contentio incidisset; ob ditionum enim vicinitatem factu est,
ut non armis minus, quam odijs frequenter inter eos certatum sit.
Captus fuit Patriarcha ad Villam Novam sub Rosaceo, dum ei Albertus Comes
Goritianus insidias tetendisset, de cuius redemptione Epũs Salzpurgensis
non ita multo post cum Alberto pepigit, ut in ipsum, et Boemiæ Rege compro=
mitteretur. Albertus autem Concordienz. Epũs, idemq. Patriarchæ Vicedominus,

insidijs ipsius Comitis deceptus, cum quibusdam ap. medeam obtruncatur. Indem Gregorium Utino egressum Comes abrupto Sontij ponte, ne cū exercitu amnem Patriarcha transmitteret, prohibuit. Renovato compromisso Antistes, ne tantorum Principum juditiū detrectare videretur, in Civitate Austriæ se recepit. Sicut verò Ecclesiæ rei defendendæ causa fortiter ab eo semper cum hoste pugnatum, ita in proditores severè animadversum est, ut omnes se hoc exemplo in fidem et officio continerent. Valvasonum Corado, ne nunc dicam de alijs, ob rebellionem privato, tamq̄m Habitantiæ Feudū alteri concessit; dicam enim de reis perduellionis pro occasione, cum agam de Feudis Patriæ; [illegible] cū oppido S. Stephani, Corbolono, et Latisana sponte dedidere, anno 1260. VI. K. Jul., [illegible] Jo: Lupico, ut quid facerent, præscribere eis Patriarcha posset, ipsi imperata facere, tamq̄ Feudatarij sine cunctatione tenerentur. Contigit hoc tempore, ut Forojulienses turmatim, sævissime, et miseranter ad sanguinem usque verberibus ultrò sese afflixerint, Asquino Aquilejensi Decano ipsorū pœnitentium Duce, sicut et nuper irreptère Xtianitatj temporibus ad placandam dei iram nudis pedibus obambulantes. Eo anno ab hostibus Provincia non amplius vexata Monasterium à Cella ap. Civitatem incohatum, facta item Clero à Venetis copia vini per biennium ex Histria evehendi ad certum amphorarum numerum. Denique Patriarcha (manu ipsius Scriba nescio, quā mentione facta in testamento de Tricani Equo, minis: terialibusq̄ Forojulij) moritur anno 1269. VI. id. sept., sepeliturq̄ prope Corpus d. Paulini in Basilica Civitatensi, posq̄m imodicis eam impendijs ornasset: sedit annos 17, menses 10 dies 16, inter magnanimos Antistites omnino numerandus, quod labore, et vigilijs nunq̄m defessus pro Ecclesia admirabili virtute divinitus adjuta frequenter pugnasset. Philippum in Gregorij demortui locū electū Woldarici ducis Karinthiæ Fratrem Archiepūm Salzpurgensē Gregorius X. Sum. Pont. minimè sua confirmatione admittendum duxit ceu Electum quo tempore authore Apostlea Electioni interdictum fuerat, quare comitij Forojulienses Ducem suum magno consensu tunc appellarunt. Tum enim erat in pretio, quod in negotijs bellicis Ducem strenuum præstitisset; quo factū est, ut ab interitu Gregorij ad Successorem usq̄ Raijmundum Interregnum per annos 4.or fuerit Dux creatus. Artuicum Castellium, quod Goritianæ se factioni addixisset, incomodis statim multis affecit, et proditione Joannis, et Woldarici Fratrum de Portis, opera usus Federici Pinzani sui Præfecti, Civitatem Austriæ cepit, ac diripuit, Civibus tum depulsis, tum in vincula conjectis. Rex Boemiæ, ubi rescivit, est enim Ditionis Aquilejen. ex professo iure Feudi Propugnator, Wolricum Durnaltium cum ingentibus copijs ducem misit, ut Civitatem proditione amissam bellica virtute redimeret. Civitatem sub certis conditionibus sedentem pristinæ libertati restituit, dum Federicus incensis D. Petri, et Sylvestri suburbijs Lapideum Pontem interim disjecisset, atque dissipasset.

Oppidum Pro-thuir, quod Hungariæ Regis erat pattum vim fuerat à Philippo Forojuliensium Duce; unde litteræ manarunt, quibus Oppidum Rex conqueritur expugnatum fuisse, monetque Ducem ab audatia tam perdita seipsum revocet, et sublatis Cohortibus omnia statim relaxet. Mons hoc interegno ad Sontium Amnem fulminis afflatu arsit ad multos dies, nec non crebra grandine ovis gallinaceis crassiore animalia in Agro Civitatensi pleraque exanimata.

Raijmundus.

1272
Raijmundus Epus Cumanus, ab Alexandro IV Sum: Pont. creatus Patriarcha, ex Gente Turriana, haud dubiè Illustri, ut Ditioni Mediolanensi eam præfuisse quondam nemo sit, qui nesciat. Ubertas huius adventu Patriarchæ confestim reddita; et inito cum Goritiano Comite compromisso pacata tota Provincia visa est. Verum ut est rerum humanarum vicissitudo famé laboratum est, et tumultibus bellicis tantisper ferè, dum ei præesse licuit. Valuit Sextarium frumenti denarijs XXX. siliginis prope totidem, milij XXII, surgi XIV. Huiusmodi penuriam et Annonæ caritatem, quæ habetur ingens, et memorabilis apud certissimæ fidei Scribas, habita temporum ratione, quæ antecesserant, crederemus, si non maior nobis contingeret, ubertatem esse perpetuo memorandam, auctis nunc in decuplo pretijs: Porò Provinciæ opes ex agrorum numero augeri non possunt, quoniam suis finibus clausi nunquam crescunt, sed ex fructuum ubertate diminscat, si eveniat, cum sterilitas alias Regiones invaserit, ut quo conterranei plus tritici, et vini collegerint, hoc uberior, opulentiorque Provincia tunc dici habeat. Raijmundus bellicis negotijs, et tumultibus vexatus fuit, primum quando Tergestinis, dum à Venetis gravi obsidione premerentur, comparatis properè copijs suppetias tulit, quibus erumpentibus in fugientes retro ad Navigia Venetos sævitum est, et eversum oppidum, cui obsidentes Romaniæ nomen indiderant. Victoriam illam famâ multo majorem, quam fructu, pax secuta est, ipsismet Tergestinis usque adeò optata, ut non pacem tantum, sed ipsam quoque vitam Præsuli acceptam ferrent. Deinde cum Tricesimum Albertus Comes ex Karinthia reversus combussit; et Aquilejam versus contendens Cividignanum, et omnia circumquaque posita direptionibus, et incendijs complevit: Tum enim quando Civitas Crapulana direpta incendijs conflagravit, Prætore capto cum Liberis. Huc accedit, quod Fulminum bis ereptum fuit ab Andrea Trivisino probro, et à Goritiano Principe,

Andreas paulò post captus, qui Phebum Patriarchæ Nepotem oppido per fraudem exueverat, inedia vitam finire coactus est. Capitur et Maranum à Venetis, et ubi diripuerant vestitutum, ab Arthuico Castello occupatur: ibidem à Ricardo Caminate Variani Castellum, quod Diethalmo Villalthero, more vestibuit. Probantur sane discordiæ, verumque discrimina ex eo, quod Meijnardus Karinthiæ Dux palam professus fuit, Laijbacum cæteraque Oppida Marchiæ Carniolæ Romanorum Regi servare, se quid Rese, non quid Patriarcha Tyberes, spectare. Rursus ex arbitrijs, ac procuntibus Compromissis, haud raro initis nunc cum Goritiano nunc cum alijs. Nam cum compromisso inito Cormonum iuxta, quod Comes fuerat semel pollicitus, reddi, sibi postularet, Comes non ut Jurisprudentes consulturus, quidquid mentiretur, sed ut arma in Patriarcham suscepturus clam è vestigio se subduxit. Compromissum quoque fuerat, cum Walterpertholdus Spelimbergius, Joannes Zuccula, Ugo Duijnus, et Henricus Pisinus coram arbitris contentiones exortas tollere sunt conati, et cum Constantinus, et Cavsmanus Fratres ex Clarissima Savorgnanorum Gente Castellum Buja cum aqua Ledræ vestituere pernegarunt, ut Patriarcha indito satis manifesto cognosceret secum de differentijs quæ in dies magis, ac magis exoriebantur à Principibus, et Feudatarijs animis haudquaque sinceris tum compromissa, tum pacem frustra inivi consuevisse. Extat Laudum, quo Raijmundo Comes Albonam Flavonam, Vallem, Pinguentum, et alia pleraque municipia reddere tenebatur, et quod libere permitteret, apertaque itinera à Crucis Monte, Pontebiaque usque ad Maris Portum, ne quid maleficij, aut impedimenti inter eundum, et vehendum committeretur, incertum quid ab incepto hominem averterit. Testatur Waltherius cum Goritiano composuisse de Romchis, S. Cantiano, Bullaco, Timavo, Diettendorpho: cum Episcopo Tergestino de Mugla et alijs locis. Rursus et alibi fœdus cum Venetis initum, ut Mugla, et Mugon Patriarchæ relaxarentur, donec aliud Pontifex Summus decerneret, ut minime videatur mirum, si cuilibet Manso et Molendino impositi fuerint interdum solidi 20 pro impensis in bellum, nec non pro faciendis postea. Vix dum turbulentijs his sedatis, illic ad novos consurgebatur tumultus, nec cognitu difficile

35 Difficile est ad pacem, et concordiam Presuli, ut par erat, alacritatem quandam innatam fuisse, nequaquam ad arma pręterquam ex provocatione propensionem. Scribit Walsheveius Patriarcham, Tur(r)ianosq. suos cum Laudensibus,+ et Cremensibus Patavij inisse fędus, +Lodi quod initum crediderim potius, ne ob id, quod sua non repeterent, reprehensione digni viderentur, quam quod quęrerentur pręter jus, fasq. Vicecomitem bellicis negotijs implicare. Discessit ad Rodulphum Romanorum Regem salutandum, et habito proximè colloquio in Patriam reversus Normanum Faganeabem, qui Archiepiscopum Mediolanensem eius ęmulum de discessu per epistolam certiorem fecisset, acerbius punijt. Clericorum mores haud satis probatos quadam temperata tamen severitate compescuit. In Carnea providit, ut quisque passim emere pro arbitrio posset panem, vinum, triticum, pannos, frumenta, et alia huiusmodi, non alibi tamen vendere, pręterquam in Foro Tulmetij. Oppidum Raymundi apposita Cruce ferrea de suo nomine designavit, haud procul a monte, in quo Grozumbergum fuerat, ut videtur, supra Glemonam, quę Hemę, et Hermonę nomen apud Priscos sortita fuerat. Rei bene gerendę, ac peragendę interim occasionem expectans, Plebano Tricesimi Clericum addidit, proventibus annuis viritim divisis. Sacellum a Ricardo Caminate recuperavit, qui feudorum nomine, quę firmata sibi sunt, fidem jurejurando promisit. Meynardo Karinthiæ Comiti pari titulo Vencionum adscripsit, quod sibi Guilelmus Vencionensis marchis mille quingentis paulò ante vendiderat: Tricesimum partim a Candido emit, partim vero à Flordelisia Fulcheri Coniuge. Vendidit autem Fratribus suis Neapolioni, et Franc.o Pallatium pulcherrimi operis cum Juribus circumquaque Mediolani positum, in Parochia S. Fidelis, ut nummos eis restitueret, quos in equos, indumenta satellitis, aliosq. usus necessarios pro dignitatis gradu decenter retinendo, minimè intemperanter impenderat, quod secus, aut alijs alienare mente nunquam destinasset. Signavit argentum, varięq. rerum quarumlibet commercialium vectigalia Utinensibus dono dedit; munus

munus vel ob id præcipuè Reipublicę saluberrimum, quod ipsis conductis Medicis, Ludiq; literarij Magistris, diu vivant Cives, et ingenia insigniter efflorescant. Utinenses hoc Præsule Monasterij Petri Martyris ab Innocentio IV. Rom.° Pont.e ante annos 40 in Divos relati fundamenta iacienda curarunt. Tandem Constantino Savorgnano, Henrico Goritiano, Thoma Cucaneate, & Henrico Butriano in pratis Attimis supra Padernum in equestrem accitis ordinem inter tot rerum perturbationes Utini moritur, & Aquilejæ sepelitur in Sacello eximiè a se extructo, dum in Patriarchatu vixisset annos XXX, mensem unum, dies 17 cum animi magnitudine, tum liberalitate nulli Patriarcharum non conferendus.

Petrus

Mortuo statim Raymundo vexilla, equos, sellas, et apparatus reliquos ad Marescalli munus spectantes, Bartolomæo Heyanę, Henricoque Weryinstaino Tricanentes ad annum relaxarunt, ne viderentur aspernari sententiam, quam Antonius Civitatensis conscripserat pridie Kal. Aprilis an. M.CCIC. munus obire camere Patriarchalis custodiendæ Thomas, & Simon Cucaneates recusarent, per Nuncios a Civitatensibus licet invitati, quod dicerent semel se pulsos, et fugatos, ut idem Scriba Nonis martij scriptum reliquit. Petrus paulo post ad Patriarchatum annis gravis asciscitur. Conradus autem vetus Polonia Dux, ut in annalibus quibusdam antiquis reperio, ad Fori Julij Præfecturam, Henricus Goritianus Comes in Campo Formio, qui confestim in pratis ad Basaldellam, ut Utinum obsideret, castra posuit, subnixus Givardi Caminatis, Otemburgi Comitis, oppidanorumq; auxilijs: qui omnes fere in eius partes declinarant, Utinensibus male affectus erat, quod ipsum, ad quem veluti Præfectum creatum regendę Provinciæ pondus reciderat, ab Urbis ingressu, paulo ante clausis portis, prohibuissent. Præcluso Rivo, qui Utinum prætergressus Basaldellam attingit, solvere obsidionem coactus, Ruzolium cum exercitu se recepit, rapinis et vexationibus non abstinuit, donec oblata pecunia, a Joanne Philippi Patriarchalem Vicarium agente ad pacem & concordiam revocatus est. Petrus verò confirmatione a Bonifacio IV accepta Patriam Utinensium multitudine gratulabunda pro more se effundente, ingressus est an.° d. 1299.

At Girardus cum Præsuli relaxare Sacillum pernegasset, quod a Nicolao illius Nepote receperat, Goritiani, Oppidanorumque auxilijs adiutus non modo vim fortiter sustinuit, sed etiam prælio trans Liquentiæ flumen commisso superior fuit. Elatus Victoria Civitatensibus extremum minari excidium cepit. Meijnardus interim Ortimburgi Comes, cum abrogata Henrico Præfectura, Foroiulij Præfectum Patriarcha declaraverat, sumptis propere armis Villaltham cepit oppugnare. Petrus exacto inter tot rerum perturbationes Iubilato moritur, ex Præsulum numero, qui ab inito Patriarchatu plura Bella, quam annos numerarunt; vixit in eo annum dumtaxat, menses decem, sepultusque Utini in Basilica B. Mariæ.

Ottobonus.

Ottobonus natione Italus, Patria Placentinus, in Petri demortui locum sufficitur a Bonifacio Pont. Max., e familia sumptus Raziorum, dum esset Episcopus Patavinus, in ipsius viventis locum Paganus, quem Canonici Aquilejen. Patriarcham delegerant, surrogatur Episcopus. Ecclesiam prope afflictam regere sano consilio cepit XI Kal. Septemb. anno MCCCII. Ingressus Utinum ad Æs alienum persolvendum, quod turbulentissimis temporibus Ecclæ nomine ingens contractum fuerat, statim animum applicuit. Salinas prope Maranum Ecclę suę adiecit. Manzanum vi cepit, Sacilletum numerato pretio Ecclæ asseruit, multos non armis minus, quam comitate, et benevolentia ad Sedis Aquileiensis obsequium revocavit, ut eam initio posset videri, multo opulentiorem se denique redditurum, quam accepisset. Vitam vero, ut in armis perpetuis duceret, nescio quo malo fato, atrocitas temporum fecit. Ricardus Caminas nulla gravi iniuria abstinuit, Oppidanorum auxilijs, qui ei adhęserant, nunquam destitutus, quinimo fretus ope Henrici Goritiani Comitis, Meijnardi Ortijmburgi Ducis Karinthiæ, nec non Marchionis Ferrariensis, per Provinciam dilapsus, cum ingenti armatorum agmine agros pervastavit, tecta combussit, et omnia terrore, incursibus, tumultibusque implevit; Fecere Spelimbergenses deditionem gravi obsidione cincti; Odoricus Castellius, cum Tervisio reverteretur, Walthepertoldi Ioannis Zucculani Filij insidijs ad Stratam Altam exceptus, Toursam, inde Zucculam tractus est, quod in eum Spelimbergi amissi culpam reijceret. Defecerunt a Patriarcha et Butriani, quibus comitatum Goritianus, Militia, Virosque fortes, qui in præsidio forent, statim suppeditavit. Butrium tamen virtute consilioque Præsulis vi captum funditus deletum est, nec Propetum minus, aliaque

Oppida multa in Ecclesiæ potestatem redacta sunt, ac Sacillettum, quod a Ricardo occupari Præsul pati non videbatur diutius posse, Odovici, quem captum diximus, Nepos Arbuicus cavit iureiurando, neque amicitiam aut societatem cum Goritiano, Ricardoque, Oppidanisve servaturum sa amplius, neque fidem suam erga Patriarcham, Sanctamque eius Ecclesiam violaturum. Verum eo erat (proh Deum atque hominum fidem!) ut qui Patriarchalem Provinciam obeundam honestissime susceptisset, adversus Vassallos, quos defendere officij gratia tenebatur in castris armatus persistare, ne offenderent, necesse haberet ferire, si res posceret etiam promptus. Civitatenses nihil habentes antiquius, quam morem gerere Patriarchæ, quemadmodum instrumento testatur Antonius Civitatensis III Id. Maij an. 1308 per Legatos prona voluntate auxilium obtulerunt, domos Nobilium quorundam, qui à Præsule defecerant, funditus dejecerunt, cum ad ipsius quoque Civitatis invasione minime temperassent, Zucculam, Urusperzum ceperunt, quod Postentibus ab ipsis restitutum paulo post fuit. Hæc autem familia, quæ opibus, et auctoritate tum pollebat plurimum, an in Nepotes transierit, non satis compertum habeo. Ventionenses diruptis mœnibus Præsuli deditionem fecere, verum cum ipsi, qui Conrado Sturmberchio Duce in Agro Zucculæ, et Pramogliani castra locaverat, nunciatum fuisset Ricardum cum ingentibus copijs in Patriam advenire, in Civitatem se recepit. Ricardus nihil cunctandum ratus Sedeglianum cepit, diripuit, et incendit: Mox Sacillettum, et S. Vitum adiusit Goritianis cohortibus, Prampergensium, Spilimbergentium, Cucaneanum, et Zucculanorum. Ad montem verò Regalem capto Henrico Prampergio, qui ad Ricardum desciverat, in Foro Utinensi iubente Patriarcha caput abscissum est, succedente nulla prorsus funeris pompa: Turpe non iudicavit mucrone in illum uti, qui periurio simul, et transfugio dominum fefellisset. Oppidani conventu habito ad Riparum Villam Guarnerium Cucaneatem Vicedominum crearunt. Bombanicius Goritiani sororius hostili depopulatione Morteglianum deprædatus est. Ubi Patriarcha rescivit, Aquileiam primum, inde Bononiam ad Legatum Pontificis profectus est. Ricardus interim in Gorzano cum Utinensibus manum conseruit, socialibus armis fultus: cui tamen congredientes animose restiterunt, multis tum captis, tum interfectis, ut ægre Ricardus ad suos evaserit: Inter alios in ea pugna Waltherpertoldus fortissime dimicando, occidit. Patriarcha reversus Forosulanæ militiæ Henricum Goritianum præfecit, qui bello strenuus sumptis armis, propere Tricesimum, Artheneam, Sulmetium, Clausam in potestatem suam redegit, deinde Montemfalconem Cucaneatibus, qui detinebant, sponte tamen dedentibus

40 sedentibus expugnavit. Villaltam non paucis ex attratis militibus, quos a Synthesibus nigris Soldarianos vocabant, qui in præsidio erant, necatis, devicto Cavoriaco ablataq; latrocinij modo undequaq; ingenti præda, Goritiam rediit. Agebantur hæc cum Bombanicius magno conflato exercitu concitato gradu in Patriam irrupit, Goritiano Soceris suppetias adversus Ricardum ad quamlibet occasionem laturus. Is Neboijsa primo impetu incensa Ceaneam diruit ac diripuit. Antistes, ut Lottiam, Arispergum, Montemfalconem, Tricesimum, Aratheneam, Tulmetium, Faganeam, S. Vitum, et Canippam, quæ Oppida Goritianus paulatim suæ ditionis facere conabatur, ad obsequium cogeret, cum Austriæ Duce, Patavinis, Tervisinisq; pacem inijt. Re cognita Goritianus Tulminum cepit, ipsum præsidijs firmavit, Agrum Utinensem adiuvante Bombanicio circumquaq; vastavit, hominibus, et iumentis innumeris in prædam actis. Cepit et Pertum, omnia persuasus propriis comodo parare. Ottobonus tot afflictus bellis et tumultibus, sibi cavens Goritianum ipsum militiæ suæ in Generaliatum præfecit ea conditione, ut omnes Ecclesiæ proventus Præfectus perciperet, a Præfecto Antistes non nisi Marcharum tria millia, perinde ac si retinendæ ditionis inter tot bellicos tumultus spem quasi omnem, abiecisset. Oppidanorum Filios Goritianus ut in fide, ac in officio retineret, obsides sibi dandos curavit. Postea statutæ sunt a Præsule nova pactione centenæ marchæ in singulos menses stipendij nomine, militans ijs stipendijs Athibertam. Filiam suam, ut publico proditum est instrumento, Nicolao Prampergio in Matrimonium dedit. Arcarum Oppidum sibi certo pretio comparavit. Hic Patriarcha ab Henrico VII Imperat., priusquam ab obsidione Brixiæ excessisset, de Regalibus cum Imperiali vexillo investitus fuit, Austriæ et Karinthiæ Duces de Feudis uno eodemq; momento temporis investivit, altero Dapiferi, Pincernæ altero fungente ministerio Feudorum nomine. Festinavit Ulrino Melsio petenti in Colloreti Colle domum ædificandam, ut Franciscus Natutus memoriæ prodidit. At Patriarcha dum ab Urbe redit, quo Clemente V Pontif.e defuncto ad Cardinalem Fliscum profectus fuerat, morbo in itinere correptus, et vigilijs, ac labore defessus apud Placentiam moritur, sepeliturque in Aquatæ, dum in Patriarchatu vixisset annos XIII.

sedentibus

Castronus.

Patriarcha designatur Gijlo Archidiaconus Aquilejen. Canonicorum omnium calculis. Itidem militiæ Forojulanę Goritianus Comes preficitur ab Oppidanis, conventu de more habito, donec Gijloni Pontifex Max. Patriarchalem Sedem; Goritiano Prefecturam ratam fecisset: omnibus interim Comiti obtemperare iuramento adductis. Arthuicus autem Prampergius manu prompta Artheneam, et Bujam arripuit, quicunq. sequeretur eventus. S. Danielem, et Paganeam, qui ea Oppida incolebant sibi vendicarunt. Goritianus maturandum ratus conflato exercitu Susani, et Colloreti castella cepit, et evertit, nec Melsijs pepercisset, nisi deditionem ijs conditionibus fecissent, ut Buja statim Comiti redderetur, et Melsij marchas 150 Colloretanis persolverent, incomodis tanti ęstimatis, quibus ipsorum Melsiorum culpa fuissent affecti. cepit Moritium quoq. quod Wintherus nomine ipsius Goritiani custodiendum susceperit, usque quo Presul, ad quem res spectabat, aliter consultum voluisset. Spelimbergijs Canippę Patriarchalis custodiam demandari sibi ex veteri instituto continue flagitantibus: Villaltæ obsidionem frustra tentavit. De Guilelmo Galengano, alijsq. Seditiosis, a quibus grave iminebat periculum, in Civitate Austria supplicium sumpsit, eiusdem Guilelmi Filium, Reijnordtum, Virgilium, aliosq. nonnullos captivos Goritiam adduxit. Tandem à Joanne XXII Pontifice non Gijlo, sed Castronus e Gente Turriana ArchiEpus Mediolan. in Rodulphi Appuliæ Regis gratiam Patriarchali titulo insignitur, qui cum ab Urbe in Patriam veniret, Equo lapsus repente moritur, Florentięq. sepelitur vix dum anno sui Patriarchatus expleto. Quo factum est, ut Castronus admissus perinde ac Gijlo reiectus Patriarchales habenas non sit moderatus, splendore alioquin cum Progenitorum tum suis laudibus magnus.

Paganus.

Paganus Raijmundi Patriarchę Patruelis Episcopus Patavinus ipso Joanne XXII Pont. Max. Patriarchatum adeptus est an. Dni 1319. Pelegeram Neptem ex Zaffredino Fratre, Meijnardo Ortijmburgi Comiti in matrimonium collocavit. ex Nuptijs vero lętitiam ortam discordia civilis fędavit; nam postquam fuit ei renunciatum Hectorem, Federicumq. Savorgnanos Constantini Filios, cum Speranzio Detscinoq. Fratribus manum

Manum conseruisse, ne quid accideret grauius, Utinum statim advolavit, quod ipsorum Fratrum exitio præter expectationem contigit; nam armis Utinensium, et Civitatensium, qui ex Civitate Præsulem abeuntem deduxerant, oppressi sunt, cæsique unâ socij factioni eorum dediti amplius viginti quinque. Sed hoc fœdæ factiosorum hominum insaniæ, vel infelici fato, non Patriarchæ moribus est ascribendum, quoniam eos non inter se comiserat, immo dederat eniscius operam, ut potitis dissidijs, pace inter ipsos mutua firmaretur. Forsan ita superis visum est, infeliciter illis caderet martis alea, per quos teterrima venisset seditio: præcipuus fuit eius animi ingenui dolor, cum Karinthiæ Duces à Patavino adversus Schaligerum vocati, per Patriam se cum ingentibus copijs effundentes, eam pro libidine populationibus, et incendijs vastarunt. Perierat antea Tervisij ex improviso Henricus Goritianus militiæ Forojulensis Dux, cuius industria, virtute, et animi magnitudine contineri omnino à vastationibus potuissent. Egerat Provinciæ Præfectum homo cumprimis illustris, et in ea multos annos bellum haud infeliciter administraverat, natus ferè eodem Cœlo, ijsdem moribus, institutis, et quod magis urget, sanguinis vinculo Karinthijs coniunctus. Qui Prędamanum, Terentianum, et Cussignacum, ut Henricus Orzonus, Maccabonus Tervisinus testantur, Federico Savorgnano vendidit; contra quem Aucthore Nicolao Civitatensi, Lovarienses, ne quid adversus eos in lite tentaret, quam pro iure Pascuorum cum Prędamanijs habebant, protestati sunt. Constitutum fuit hoc Patriarcha, ut ad eum redeam, ne quis mercimonia cuiuscunque generis, dum in Iulij-Forum ex Germania, aut in Germaniam ex Foro-Iulij comeantur, intercipere, aut impedire auderet, et pateret mercatoribus iter liberum, quorsum illud diu noctuque facere mallent: Ut tributum, quod pendebatur supra Glemonam ad Xenodochium Sancti Spiritus, nisi eo sublato, quod paulo ante Venzoni indictum fuerat, exsolvere nullus transeuntium cogeretur, sicuti Eusebius scripsit an. 1331 XV Kal. Feb. Gastaldioni Civitatensi cognitionem delictorum, animadversionemque criminum in Agro suo delegavit.

Emporium Sacillense die Dominica celebrandum concessit, ipso Eusebio teste: Colonos Vicenovanos ab oneribus nonnullis, quibus erant obnoxij, sublevari, ne obruerentur a Sacillensibus, iussit: Muglae decimam a Conrado Raffimbergo emit: Tributa, quae Glemonenses sibi imminui postulabant, magna moderatione recognovit, et mitigavit: Possessionem Butrij praesentibus Rapotto, Matheo, et Jacobo Fratribus, qui vendiderant per manus Federici Savorgnani traditam Joanni Francisco Abbati Rosacio eius Procuratori, consecutus est. Fundos Hectori Savorgnano vendidit in Agro Cergnei superioris supra Taibanam, Presenicii, Campiformij, ut ab aere alieno se eximeret, de retrovendendo pactum stipulatus, ut auctor est Gubertinus Novatinus; a quo docetur quoque alio tamen loco, Antistitem quidquid in Agro Sancti Siriaci Marchionatus Histriae possidebat, monialibus Torcellanis citra tamen sanguinis Iurisdictionem in decennium concessisse. Cum autem annis XII vixisset in Patriarchatu moritur mense Decembri MCCCXXXII.

Bertrandus

Postquam Bertrandus natione Gallus, Patria Aquitanus, Auditor Rotae ad Patriarchatum assumptus est, Forojuliensis Provincia ab intestinis bellis minimè destitit; nam Castellani statim, ubi ex Jadera reversus fuit, quo Rex Hungariae cum septuaginta militibus equitum pervenerat, res novas moliri coepere, quoniam Praesul veluti renunciata quodamodo ipsis amicitia, animum ad ea omnia adiunxisset, quae tum Utinensium, tum Savorgnanorum dignitatem, commodumque concernerent. Quid plura? nil cunctandum rati, Joannes Franciscus Castellius, Hermagoras Castellutius, Beachinus Purlitianus, Pratenses, Brugnerienses, Civitatenses, Spelimbergenses, Villalthei, Castropagani, et Prampergenses magno comparato exercitu moventes in Savorgnanum, Paganeam, S. Danielem, Bujam, et Tricesimum, ea Oppida statim incepere. Habebantur enim omnia ditionis Aquilejen. Ecclesiae nomine, Simonem Valvasonem, Paganum Savorgnanum Hectoris Filium, multosque Utinenses captos pertraxerunt, praeclusis viris, ut Utinenses aquae penuria ad deditionem confugerent. Praesul instructa acie in medium procedens ad Braulinum pugna inita, copias Porlitiani fudit, ac dissipavit, haud parva edita strage. Braulinum ipsius Porlitiani Oppidum Latrocinijs infame, captum e vestigio fundibus evertit. Vexilla ex hostibus rapta, victoriae monumentum insigne Utinensi Basilicae consecravit. Iubente vero Legato

Apostlico

Apostolico Præsul, et Goritianus inducias pacti sunt. Moruciani interim, Tricanenses, Cauriaci, Colloretani, et Sophumbergentes in sup=plementum militiæ Goritiano instructas acies obtulerunt, ut cum vellet renovare bellum adversus Antistitem, fortunam experiretur: Unde Utinenses mira usi celeritate Faganea, S. Daniele, Moruccio, Pertto, Tricanoq; in deditionem acceptis, Susannum contumaciter repugnans, haud magno negotio expugnarunt, subverteruntq; Flambrum in potestatem redegerunt: Beachino Purliliano, qui tunc Portui Naonij præerat, Spelimbergensium cohortibus stipato Turij nequeuntes obsi=dionem sustinere, ultro se dediderunt: Pariformiter Utinentibus Buijani fame pressi, quæ circiter id temporis per universam quoq; Re=gionem crassabatur, deditionem fecere. Patriarcham vero, cum ex Sacillo Utinum versus iter faceret, (iam enim instabant fata super Caput Superischarum) Castellani, qui animos in eum iampridem rebelles induerant, multis cinctum armatorum copijs in lata Richin=veldæ planitie (proh scelus inexpiabile) obtruncarunt.

Federicum Savorgnanum, Franciscum Nimium, Hectorem Miulitam, Nicolusium Orbitam, Paulum [illegible] aliosq; captos abducere festinarunt, quibus ab itinere eum paulo ante avertere conantibus fore prædixerat, ut pro Dei Ecclesia immolandus esset, veluti accep=ta mente divina, et expiato ac æquissimo animo discessurus. Fuit sane cædes ab infestissimis animis proveniens, non enim ob aliam cau=sam illis tantum in Antistitem Aquitanici sanguinis odium conflatum fuerat, nisi quod ipse nullo fatigatus labore, nullo periculo territus, Ecclesiæ suæ ius ardentissime tutaretur. Non ab interno hoste securus unquam fuit, quemadmodum nec Patria ab externo, ex ipsius vita, et interitu maxima ei felicitas emicuit, honestis moribus, Legibusque Clerum instituit, Proventus Ecclesiasticos insigni laude dies noctesq; proprijs manibus in pauperes erogavit; comentarios in Clementinas edidit, et Vicarium habuit Guidonem Baijsium Archidiaconum Bononiensem, qui Patrum Decreta interpretatus est, et Sextum Decretalium. Basilicam Utinensem a fundamentis erexit, ad qui=etem, et salutem communem suæq; Ecclæ defensionem Castellutum á fundamentis deijci iussit, conventu Castelanorum habito, ut scribit Eusebius, Hermagoram Chœbutinum, Joannem Furlanum,

Et Pancevam Turrianos, qui illud incedebant Aucthore Lubertino Novatio privandos Feudo, et proprio censuit, ne aliqua agri iugera haberent amplius, Dono Savorgnanis multa dedit, quod eos fraudi aut scelori intentos nunquam cognovisset, Spelimbergentibus, ut quidquid territorij intra mœnia contineretur, concedere in Emphiteusim posset, Aucthore Antonio Civitatensi, libenter indulsit: Sacillenses ex Nundinis Vectigalia percipere posse, non recusavit; non minoris denique pretij fuit, quam ille esse potuisset, cui ob singularem Pietatem, Religionem, Modestiam, Eruditionem, et Sanctimoniam, cæterasque animi dotes præclarissimas uno ore Summum Pontificatum omnes asseruissent, ut multis miraculis illustris sit, inserique iure optimo queat Divorum numero. At postquam Basilicam Aquileiensem terræ tremor dejecerat, ut Lubertinus refert, Hungarorumque Regem in Appuliam proficiscentem Utinenses benignè hospitio excepissent, per summum, ut dicimus, scelus incomparabilis Vir sanctitatis, et numeris omnibus perfectus, et absolutus occiditur, anno sui Patriarchatus XVII ingenti desiderio de se relicto, et omnibus ferè bonis collacrijmantibus, Corpus a mulieribus delatum, ex Archa marmorea quotannis ostenditur apud Maius Altare Utinensis Basilicæ, quo cæsus est die, qui mirè solemnis est apud nos VIII Id. Iun., Celebritatem nobis adhuc invidere quidam non desinunt ex illis forsan, a quorum maioribus necatus est.

Nicolaus

A Nicolao Joannis Bohemiæ Regis Filio, Caroli Quarti Imperatoris Fratre, ut fortiter, et ex dignitate regeret, aut potius, ne quis illorum superesset inultus, qui malam operam adversus Bertrandum navaverant, quippe in eius locum suffectus fuerat anno Dñi 1351 satis pœnarum exactum est. ab homine enim irarum pleno Propetani, et Tercentani captis Oppidis profligati sunt, de Joanne Francisco Castellio,

Ricardo Varinis, Armano Carneo, Federico Portenti, Henrico Spilimbergensi, Oppidis in ditionem suam redactis, alijsque multis supplicium sumptum est. Deiecta pars Melbij, Castellerium totum ab Utinensibus dirutum, et solo æquatum, saxis eiusdem Oppidi Utinum convectis. Bertrandi cędes ita diu inulta non mansit, Castellanis in eius ultionem partim affectis: Consilio, et authoritate sua omnes in officio continuit, et ne ad novos consurgeretur tumultus, acerrimè restitit: dignus propterea habitus, cui dignitas tanta committeretur, quod in ipso nullum negligentiæ vestigium apparuerit. Carolum Fratrem ingenti honore Utini susceptum, a Walterpertoldo Spilimbergio, Francisco Caganoque Savorgnanis, Odorico Cucaneate, alijsque multis Comitibus ad Urbem usque prosecutus est, dum ad eam per Iulij forum proficisceretur, ut Corona Imperij donaretur, qui ea accepta ab Innoc.o VI. Rom.o Pont.e Equites in tanta celebritate creavit, et ipsos Walterpertoldum, Franciscum, et Odoricum in Ponte Tyberis ad molem Adriani declaravit, et Comites Palatinos Savorgnanum, et Cucaneatem nec minus Odoricum Susanium Scribam, honore in eorum quoque Posteros delato. Austriam Civitatem Generali Gymnasio disciplinarum omnium honestatam in Fratris gratiam reddidit Kal. Aug. 1353. Rex vero Hungerorum IX Kal. Aug. 1356 cum centum militibus armatorum per Forojuliensem oram ingressus Coneglianum expugnavit, sed fraudem veritus Conradi Lonfi, qui accersitus erat Imperator ad curam capiend. Tervisij, minimè transijt.
Hic Præsul Abbatiam Mosacensem, ut Alberzetus tradit, additis Villis quibusdam cum ditione mirum in modum excoluit. quamvis plus habet momenti quod bonum sortiatur Abbatem quam quod multos ille proventus, aut quod amplam ditionem possideat. Castellum Guarde Zojose dirutum ob Asquini Varini rebellionem authoritate sua restitui vetuit, cum ad Bellunensem Civitatem secessisset: Ubi etiam perijt, dum in Patriarchatu vixisset annis septem, mensibus novem, diebus octo apud Basilicam Utinensem tandem sepultus.

Ludovicus

Ludovicus Turrianus sufficitur in demortui locum an. d. 1359. Facilè enim illustre genus ad Patriarchale fastigium expetitur. Is cum Castellum Varmi inferioris Dethalmo furtive ademptum ab incolis S. Danielis, reddi pertinaciter recusaret, præter decretum Conventus à Castellanis habiti, Walterpertoldus, et Henricus Fratres Spelimbergenses affinis damnum, et injuriam incendio vendicare cœperunt. Ab ipsis enim Pajum ustum est, ac Vacillum, data suis potestate passim rapiendi, et comburendi quæcumque possent. Antistes exemplo detestabili percitus, ad Taurcanum mittit, qui ante Fratrum ipsorum oculos paria facerent, sed ij cæsi, fugatiq. sunt. Spelimbergenses, Ragoneates, Cratenses, et qui è Portu-Naonis venerant, militibus se iunxere, qui in Agris Villæ-Novæ, et Carpaci Ducis Austriæ iussu consederant, ut Glemonenses perdomarent; ac Crampergios, qui Clausa arrepta, et Ventioni parte veluti in prædam data, assiduis latrocinijs Germanos Mercatores vexaverant. Ad S. Danielem perrexerunt, et vastatis agris, incensisq. tectis Sedeglianum ex intervallo per deditionem receperunt. Rodulphus, et Federicus Austriæ Duces per Goritiam Julij Forum ingressi cum quatuor millibus Equitum Manzanum et Butrium occuparunt; a quibus Patriarcha, cum e finibus Aquilejen. Ecclesiæ bello submoveri non possent, pacem his conditionibus tandem obtinuit, ut ipse cum 12 ex Castellanorum ordine, quos duces ipsi delegissent Viennam, quæ Caput est Austriæ, proficisceretur: inde ad Imperatorem accederet, qui una cum ipsis Patriarcha, et Duce rem totam componeret. Per hæc tempora Arricus Crampergius ut Bonus-homo scribit; a Glemonensibus Oppidum Glemonæ repetebant, ab eo, sicuti dicebat, commodati nomine concessum, quo Federicus Crampergensis quondam potitus fuisset. Cum Patriarcha Ventionum a duce dato, ut auctor est Philippus Utinensis, Oppido Beligoatæ permutationis nomine, antea recepisset, Dux Federicus Viennam tetendit, ipsum Antistes, Antistitem Franciscus Savorgnanus, Simon Valvasonensis, alijq.

à Duce

a Duce delecti Comites secuti sunt, quos Rodulphus tempore Vene=tam Urbem invisit. Ubi Viennam pervenerat, omnibus inhibita statim discessio fuit: interim Utinenses, Civitatenses, et Glemonenses Manzanum ceperunt, Butrium expugnarunt, et Cormoni oppu=gnatione frustra tentata, Quadruvium, et Rivoltum invaserunt, incolis sponte confestim sese dedentibus. Reversi ex Vienna paucis post diebus Savorgnanus, et Valvasonensis clam retro in Patriam venisse, a Duce non exorata redeundi venia, affir=marunt, ne ab eo minaci, truculentoque homine ad interitum cogi possent. Dux anno Sal. 1363 Kal. Sept. ingenti conflato exer=citu in Patriam iterum irrupit. Cum autem Rosacium, Butrium, Villaltham, Sedeglianum, et alia quædam loca in potestatem suam redegisset, et Franciscus Strasoldus, quem Plebanum vocabant, Tulbertus Pratensis, Facina Pertijslainus, Schinella Cucaneas Walterpertoldus Spilimbergensis, et alij quidam ad eum descivissent, Præsul, intercedente Oratore Veneto, cum Duce fœdus iniit.

Cum vero postea Locustarum infinitis agminibus Cœlum conspersum, et a Civitatensibus Oppida Urusbergi, Zuccolaque ipso iubente Patriar=cha solo æquata fuissent, Pax ecce, et amicitia cum Meynardo Go=ritiano Comite instauratur; dum Agapithus Columna missus à Pon=tifice discordijs abolendis, pacandæque Provinciæ vehementer advigi=lasset, Lodovicus autem Castellanos sibi, et Ecclesiæ minimè obsequentes iam satis expertus Castello Foraminis in Carstis cuidam Nicolao Feudi nomine iamdudum collato, post annum 6tum Patriarchatus efflavit animam, III Kal. Aug. 1365. Militiam autem, quæ Præsule Ludo=vico, adscripta erat, ut et obiter hoc notemus, Simon Lovaria ex scriptis Io: Lubertini talem docet fuisse. Ad bellum enim quod in Patria gerebatur, ij milites ex præscripto evocari solebant:

Mittebat Patriarcha cum galeis XXXII, Balistros VIII.
Episcopus Concordiensis Galeatos VIII. bal. II.
Collegium Canonicorum Aquileiensium gal. X. bal. II.
Abbas Bellinensis — gal. II. —
Præpositus et Collegium Canonicorum S. Stephani apud Aquilejam — gal. III. bal. I.

Præpositus et Collegium Canonicorum S. Felicis ad Aquileiam — — bal. I.
Monasterium maius Aquil. gal. 2. b. 2
Abbas Rosacensis — gal. III. bal. I.
Abbas Mosacensis — gal. III. bal. I.
Abbas Sexten. — gal. IV. bal. I.
Collegium Can. Civitatensis — gal. X. bal. II.

Monasterium maius Civitatense - - - - gal. i. bal.
Colleg.ium Canonic. Utinen.
pro Preposit.ra S. odorici gal. i. bal. i
Prepositus Carnee - gal. i. —
Prata - - - gal. V. bal. IV
Purlil. - - - gal. VI. bal. JV.
Pulcenicum - gal. JV. bal. JV.
Avianum - gal. J. bal. J.
Mons Regalis gal. J. bal. J.
Toppum - - gal. J - -
Spetimbergium gal. 8. bal. JJ.
S. Vitus - - gal. JJ. bal. J.
Sbrojavacha gal. JJ. bal. J
Laurenzacha gal. J bal. J
Salvarolum gal. J bal. J
Mithuna - - - bal. JJ
Azanum - - - bal. J.
Gruavium - gal. J - - -
Fratina - gal. JJ bal. JJ.
Hagonea - gal. J - - -
Vitalsha - gal. J bal. JJ
Cavoriacum gal. J - - -
Urusperguin gal. JJ bal. J
Faganea - gal. JJ bal. J
Moruccium et Tricanum g. V. b. JV
Brazacum sup.ius et inf.ius g. J bal. J
Fons bonus gal. J. bal. J
Coloretum gal. VJ bal. JV
Melsum - gal. JJ bal. JJ
S. Daniel - gal. JV. bal. JJ

Resium et Susana gal. J bal. J
Ragonea - gal. J bal. J
Prampergum - gal. JJ bal. JJ
Cassacum - gal. J - - -
Arthenea - - - bal. J
Vendoium gal. J - - -
Buija - - gal. J bal. J
Attimum - gal. JJ bal. JJ
Cucanea, Pertistagnum et Valvasonum gal. X. bal. VJ
Strasoldum gal. JV bal. JJ
Manzanum gal. JJ bal. J.
Butrium gal. J bal. J
Castellum Tercenbi inf.ius g. 3. bal. JJ
Varmum sup.ius gal. JJ. bal.
Varmum inf.ius - - - bal. J
Zeglacum - - - bal. J
Aquileia gal. J - bal. J
Utinum gal. XXXii bal. 8.
et Savorgnanum simul.
Civitas Austriae g. j2. bal. JV
Glemona - gal. VJ bal. JV
Monfalco gal. J bal. J
Tulmetium gal. JJ. - - -
Sacillum gal. JJ bal. JJ
vel pedites XXV.
Canippa - gal. J.
Suclevum, Quartum,
Luincie gal. J.
Vencionum gal. JV. bal. JJ
Maranum pedites.
Zoppola - gal. J. - - -

Marquardus

Marquardus natione Germanus, Patria Bavarus Episcopus Auspurgensis Sedis Aquilejensis Gubernacula, ad quę fuerat assumptus, an susciperet, diu dubitavit, quoniam bellis, et seditionibus satis superque quassata, et labefactata in dies magis, atq. magis affligeretur. Videbatur abstinere malle, quam bello a Ducibus Austriæ potentissimis, Castellanorumq. dissidijs quotidie discerpi. Nunc Duces instabant minacissimi, nunc Spilimbergenses, Turij, Pulcenicij, Plebanus Strasoldus, Facina Pertistaijnus, Joannes Urusperginus, Ventionenses, et Ragoneates, qui fidei Ducum, adhibito iureiurando, se iam comiserant. verum Marquardo, ne non abstineret, Nicolaus Maniacensis persuasit; cum enim olfecisset hominem minime parum idoneum, qui Aquileiensi Ecclesiæ preesset; ipsum iureiurando affirmavit potissimum expeti ab Universa Provinciæ, cuius nomine honoris, et gratulationis causa ad eum profectus fuisset. Itaq. anno Sal. 1366. vigilia Natalis Dni lętis acclamationibus exceptus est, qui et Conradus Craijgerus Portus-Naonis Pręfectus, ipso Nihilo procurante, inducias cum socijs illico pacti sunt, Francisco Savorgnano iam creato Aquilejen. Eccleę Vicedomino.

Verum cum inter Rodulphum Austriæ Ducem, qui Mediolani paulo post diem obierat, et Bernabovem Vicecomitem initum fuisset fędus, ut non minus Patriarchatu Marquardus, quam Franciscus Carraria Patavij Dominatu deijceretur, Antistes copijs fretus Carrarianis in Spilimbergios movens per aliquot dies oppidum frustra tentavit. Walterpersoldus Patavus suppetias agmine septingentorum Equitum bene composito ex improviso in Patriam penetravit, quem parum impigre congressus Patriarchalis miles, non parva edita clade ad Faganeam superavit, Strasoldus, Pertistaijnus, et Ventionentes statim accepto nuncio terrore perculsi, nec non Ragoneates fame coacti deditionem fecere. Genuenses qui Venetos circiter id temporis

animis obstinatis insequebantur, Tergestinos ab ipsis Venetis ad Patriarcham desciscere coegerunt, quorum amicitiam nec Antistes ipse videbatur tunc quidem satis probare; Nam Capoulas, fortunis direptis, incendio conflagrandas curaverant. Marquardus nudiusquartus postquam inducias cum ducibus in annum, et eo amplius pactus fuerat an. 1366 prid. Kal. Iun. ad Imperatorem Carolum petijt, et quæ dono Aquilejensi Ecclēæ ab Imperatoribus, et Regibus data fuerant, eorum omnium confirmationem, et amplioribus quidem privilegijs omnem auferentibus præscriptionem impetravit, nequis possessione longissimi temporis ad fraudandam Ecclēam niti posset. in Diplomate enim Francofordiæ edito anno 1366. VII. id. sept. ita loquitur Imperator: =
= Animo deliberato, et non per errorem, aut improvidè, sed
= Principum, et Procerum nostrorum accedente consilio, omnes liber:
= tates, gratias, et indulta, nec non omnia, et singula privilegia dicto
= Marquardo, et Prædecessoribus suis Patriarchis, et eidem Ecclesiæ
= Aquileiensi a Nobis, aut Prædecessoribus Nostris divis Imperatori:
= bus, et Regibus Romanis concessa, et contenta in eis, ac si de verbo
= ad verbum forent inserta præsentibus, et cum omnibus, et singulis
= clausulis, punctis, et articulis nominatim, et specificè denotata
= super quibuscunque Principatibus, Dominijs, Terris, Territorijs, dis:
= trictibus, Fortilicijs, Castris, munitionibus, rebus, Bonis, possessio:
= nibus, prædijs, iuribus, iudicijs, altis, et bassis, iurisdictionibus,
= honoribus, libertatibus, monetis cudendis, Notarijs publicis, et
= monetarijs creandis, Iuribus-Patronatus, servitijs, præstationibus,
= immunitatibus, gratijs, largitionibus, exemptionibus, donationibus
= aut Concessionibus a nostra Celsitudine, vel Prædecessoribus Nostris
= donata, vel concessa sint, aut etiam confirmata, nec non super Castris,
= munitionibus, terris, iuribus, rebus, et bonis, in quorum, et quarum
= possessione olim Patriarchæ Ecclēæ Aquilejen. erant, per incuriam
= aut violentiam desierunt, innovamus, ratificamus, auctorizamus,
= approbamus, ex certa scientia confirmamus, et de novo de speciali
= gratia concedimus, et largimur, de Imperialis plenitudine potestatis:

= Decernentes, quod de Castris, districtibus, possessionibus, et bonis
= injuste detentis, vel a quolibet occupatis, quibuscunque nominibus ap=
= pellentur, iniusti, et malæ fidei possessores adversus prædictum
= Principem nostrum, Successores suos Patriarchas, et Ecclesiam Aquilejen.
= bona et iura huiusmodi nulla se possint longi vel longissimi temporis
= præscriptione tueri, ac supplentes omnem defectum, si quis in litteris
= et privilegijs Prædecessorum nostrorum Romanorum Imperatorum
= et Regum recolendæ memoriæ, aut etiam in præsentibus litteris com=
= pertus fuerit, quavis obscuritate sententiæ interpretatione, seu ex
= generalitate verborum, aut si de prædictis iure vel consuetudine
= deberet in specie fieri mentio specialis de certa scientia, motu
= proprio, et de prædictæ Imperialis plenitudine potestatis, non obs=
= tantibus legibus, iuribus, aut consuetudinibus quibuscunque. =
Comendatur in Marquardo munificentia, Beatrici Sophumbergi C.
Philippi Fulminatis Coniugi Dapezanam, et alijs multis dono multa
dedit, nec minus erga pauperes, Viduas, et pupillos insignis pietas,
et erga calamitosos misericordia, ut Ajlinus scriptis prodidit.
Laudatur et ingens studium conservandæ rei Ecclesticæ, parum tamen
Venetis se amicum ostendit, veritus ne ob annuam duodecim panum
præstationem, totidemque Suum, Patriam sibi censualem redderent.
Ipsius iussu ab Odorico Susannio Scripturarum omnium index
confectus fuit, quæ scrinijs inerant, quod ei sane gloriosum perinde
atque Odorico utile fuit, nulli licet præbetur legendi facultas, nec prop=
terea certe quod scripta diuturniora futura sint tinearum periculo.
Anno vero, quo Dux Sabaudiæ in instrumento pacis, quod inter
Venetos composuit, et Genuenses, ut Patriarchæ in Foro-Iulio
eadem maneret conditio, quod ante bellum fuerat decretum,
Pastor de Ecclesia benemeritus sublatis discordijs Utini
diem obijt, an. 1381. 3. Nonas Ianuarij, quarta noctis hora,
cum sedisset annos quindecim, sepeliturque apud Aquileiensem
Basilicam.

Philippus

Philippi Alenconij nomen Episcopi Cardinalis, cui ab Urbano 6° Pont. Max. dignitas Patriarchalis accesserat, magnas repente seditiones invexit, et plusquam civilia bella inter Utinentes, et Civitatenses. Hi hominem admittebant Pastorem Legitimum; Philippo abnuebant illi obtemperare, quod dicerent ab ipso non omnia obeunda munia Patriarchalia, quoniam Cardinalis S. Ecclesiam Aquilejensem preter maiorum morem, patriosqꝫ ritus in Comendam suscepisset, Cardinalem addictum, deditumqꝫ esse sacrosanctę Romanę Ecclesię, Patriarchę absentiam Patrię calamitosissimam fore. In partes ita duas tota Provincia divisa fluctuare cepit: adheserunt Utinensibus alię Civitates, maniacenses, qui in eorum sententiam issent: Civitatensibus verò qui odium cum Utinensibus quasi hereditarium exercebant, Spelimbergenses favebant, Sacilenses, Canipei, Avianenses, Palcinicij, Medunenses, Julmetani, Cadubrini, Glemonenses, Valvasonenses, et alij nonnulli; nunquam enim in hac Provincia seditione non laboratum. Sociorum vero quorundam ab altera parte transitio ad alteram paulò post facta est, ut noscamus, quò se fortuna, eò et hominum studia facilè se transferre. Igitur tumultu ingenti excitato ad Pontificem Summum publico consilio recursum est: Pontifex se ad pacem, et concordiam partem utramqꝫ ardenter hortatus est. Cuius rei sunt quoque inditio Litterę Neapoli scripta anno eius Pontificatu Sept.^mo^. Nescio tamen quonam fato Bellona nimium heu mentibus irretita prevaluit. Utinenses ex Hungaris strenuum aliquem belli ducem imprimis sibi accersendum censuerunt: Cum Venetis, Schaligeroqꝫ Veronę domino fędus inierunt; Civitatenses contra cum Francisco Carraria Patavij Domino, cum Francisco ad Schaligeri exitium Virtutum Comes Mediolani Dominus. Tota itaqꝫ Regio ForoJuliensis usque adeò seditionibus extemplo divisa fuit, et animis quidem infestissimis, ut vix unus esset, aut alter, qui factionis neutrius censeretur. Rogati Veneti haud gravate miserunt Utinum

Leonardum Zannium magni animi, ut Veneti Patres summa gloria deberent quondam non bello minus, quam pace Universæ Provinciæ feliciter imperare. Utinenses, sumptis propere armis primo impetu Glemonenses, mox Tulmetanos invaserunt, istis extemplo se dedentibus, Philippum Turrianum forte obviam, arcemque Cadubrij, cui erat Præfectus, ceperunt; nec interea Civitatenses præda, et rapinis rerum, et hominum abstinuerunt, qui diversæ factionis habebantur. Patavino Domino, cui ex Compromisso differentia comissa fuerat, placuit tandem uti communi arbitrio anno a Xto nato octogesimo nono supra trecentes.mum et milles.mum prid. Kal. Aug., Sacilleti, et Francisci de Rampo Jureconsultorum Bononiensium inspecto consilio, decernere, ut Philippum omnes verum agnoscerent Patriarcham, et uti Patriarchæ, et Pastori legitimo obtemperarent. Utinenses vero cum Præsuli Cardinali parere cœpissent, ipseque Michaëlem Rebattam constituisset novum Mareschalcum, novosque Judices, et Præcones fecisset, a quibus tam judicia, quam alia officia exercerentur, pristinæ, ut ajebant, libertatis memores, ad certamina, bellaque gerenda, fœdus renovarunt. Præsul etiam Carraria, ut Utinensibus, socijsque metum incuterent, Portogruarium, Ricardi Valvasonensis proditione, mox S. Vitum, inde Spelimbergium, cæteraque trans Tiliaventum Castella, præterquam Sacillum, et Mantacum, suam in potestatem non magno negotio redegerunt. Transmisso flumine suis fidentes viribus, Savorgnano, absque mora per deditionem recepto, Utinum usque processerunt; munitum autem cum optime intellexissent, et expugnando se minime pares esse, quantovis conatu laborarent, redeuntes sanctum Danielem municipium in edito positum colle aggressi sunt. Incolæ cum equitatu, et peditatu, ex Utino ad supplementum misso, strenue se defendentes dies 15 obsidionem sustinuerunt, donec hostis crebro imbrium superventu, fameque superatus eam solvere coactus fuit, impeditusque a Colloretanis, qui cum Utinensibus sentientes hostem frequenter ab oppugnatione hujusmodi retraxerunt. Ragoneam Tiliavento imminentem Candidus, Zuttus,

& Leonardus formidine perciti exercitum admoventibus in potestatem tradiderunt, clamante Joanino eorum consanguineo ad turpem deditionem nequaquam esse fugiendum. Dediti statim commeatus suppeditavunt, inde trajecto amne, Zoppolam, Cevurayam, & Castellionum Exercitus ductus est, ob excrescentiam Tiliaventi quibusdam, dum incauti se committunt, obrutis, & longè lateque procursantes Maniacum grande populationibus liberum incendijs vastarunt. Nondum ventum fuerat ad oppugnationem Sacilli, cum Incolæ Joanne Colloretano Præfecto de deditione cogitare cœperunt, nec distulerunt, quin appropinquantibus se protinus dederent. Itidem fecere Cannipei, & Avianenses, dum Ferdinandus Rem Aquilejensem á Pontifice destinatus administraret. Utinenses Provinciam salvam ipsam semper cupientes obtemperarunt, & si oportuisset hostes pro libertate Patriæ, ac defensione Ecclesiæ occumbere se paratissimos pollicebantur. Carrariani oppugnationem Maniaci sæpe tentarunt incassum; tunc enim arsit, non igni ab hostibus coniecto, sed supina mulieris coquentis negligentia, ut Ajlinus testatur: Adorti sunt Spellimbergenses, qui robore militum freti in auxilium ab Utinensibus missorum ad Oppidi deditionem non inclinarunt. Licet Andertus Trochius Carrariani Exercitus Dux crebris incursibus circumquaque vastando, & postulando Utinenses a subsidiario mittendo milite non nihil deterruisset. Andertum verò, cum ad Savorgnanum se cum suis copijs recepisset, Conradus Teutonicus turmarum Utinensium Dux ex improviso adortus fregit, ac profligavit; militibus ad numerum circiter quingentorum occisis.
Territi nuncio Carrariani relicta Spellimbergi obsidione, Maniacum versus regressi sunt: Oppugnatio Cordevati, quam more ferociùs, quam consultiùs tentarunt, in magnam Rodulphi Faganeatis gloriam versa est, quod ab eo summa fuit virtute Oppidum servatum, atque defensum. Nescio autem quo fato malo acciderit, quod Alenconius Cardinalis arma videns utrinque moveri, animos recrudescere, in mutuam perniciem ruere (durarunt enim

bella

Bello annos sese absq; intermissione) noluerit aut resignando, aut nil innovando, seditiones tantas extinguere, aut potius apud Ecclesiam suam Sanctam Aquilejensem residendo animos omnium gratia, et beneficio devincire, exemplo, ne Posteri errarent, simi: liter; sententiæ huiusmodi neq; ab Utinensibus, neque à Civitatensibus reclamatum fuisset. Hic Patriarcha, sicut apud Nicolaum a Colle Brampergi scriptum reperio, hæredum Fede: rici Purliliani Comaclensis Episcopi, ob id, quod ipse Federicus munus Vicedominatus administrasset, debitorem se fassus est de duobus millibus nummorum aureorum. Romæ tandem diem obijt, cum divisa esset Romana Ecclesia Pontificibus duobus.

Joannes

Ex assumptione Joannis Marchionis Moraviæ ad Se: dem Aquilejensem Utinenses lætitiam animis statim concep: tam multiformis plausus significatione monstrarunt: ad ipsum aliquot ex primarijs Civibus missis Oratoribus jusserunt, ne ante redirent, quam Patriarcham venientem deduxissent. Ludos diversos, pompas, et spectacula ediderunt; perinde quasi ex tot bellis, rerumq; discriminibus ad pacem, firmamq; tran: quillitatem proxime vocandi essent. Et si forte bellum immi: neret, sperabant, fore, ut eius cura, et diligentia, modo maturas: ses adventum, defutura non essent necessaria ad bellum præsidia adversus Franciscum Carrariam, qui multa tormenta bellica in Avianum iam convehenda curaverat. Imperata Oratores fecerunt, cum Pretule redierunt, non prius tamen, quam qua: drimestre tempus exegissent, in quo haud multo minus, quam aureos mille impensos fuisse constat. Præmissis Patri: archa Mareschalcum suum Nicolaum Bucchum Bohemum, egregium bello Ducem, cui Glemonæ operienti Fran.cus Carraria Castella, quæ in ForoJulij ad illud 1389 detinuerat, sponte omnia

omnia reddidit. Bucchus singulis novos intulit Custodes, ut firmis præsidiis tueretur. Interim Franciscus Nascinguerra Civitatensis Savorgnanum ingressus fuit, quod diceret Oppidum Progenitorum suorum fuisse. Patriarcha ubi ex Austria Civitate, quam primo suo ingressu honestare voluit, Utinum applicuisset, adversus Federicum Savorgnanum, quoque exceptus non minori comitate, quam pompa, nescio quid stomachi præsetulit. Consiliarios omnes mutavit, ut non Savorgnani amplius nutu, ad quem publicarum rationum consilia deferri consueverant, Utinensis respublica regeretur. Tunc Elisabetha ab ipso Federico privigno suorum Filiorum hæreditatem petebat, quæ quod iurisprudentes consulerent, aut Ordinarius Iudex decerneret, præstare non abnuebat. Hac de re cum in Senatu non modicis contentionibus sæpius disputatum fuisset, Antistes, ut erat suopte ingenio ad sævitiam pronus, et cædibus forsitan assuetus, Delphinum Andreottum ob homicidij crimen, a quo tamen legitime se absolutum docebat, capite damnandum censuit. Nicolaum Maninum Iureconsultum (ambo enim erant Savorgnanæ factionis) ad pœnam poposcit, et indicta causa in vincula compegit. Facto tam violento Federicus, et universus populus indignati (publicus enim pro Savorgnano favor procul dubio stabat) hominem dimitteret e vinculis instantissime flagitarunt. Præsul motu tanto deterritus relaxavit, nec distulit, quin statim statim consenso equo Sophumbergum diverterit omnibus secessibus a Patriarchis quovis tædij genere affectis ob loci amœnitatem prælatum, quemadmodum in actis antiquis editum invenio. misit Interfectores, qui Federicum in Sacello D. Stephani repertum nihil tale metuentem, peracta vix re divina ante Dei Aras necaverunt; persuasus, ut arbitror, æternam rebus Forojuliensibus ita securitatem fundare. Videtur adhuc in ambiguo, feceritne in gratiam Novercæ, aut Domini Patavini, vel Civitatensium,

quos

Quos impensius diligebat, nam Kal. Octob. 1389 Tulminum eis confirmaverat a Marquardo quondam pignori datum. Quis consequi recessus animorum potest? Utcunque facinus nemo certe probavit. Judicarunt Boni omnes atrocissime cum illo factum, qui rempublicam Utinensem totis viribus provexisset, quam, tametsi sua non esset, non secus tamen ac suam more maiorum complecteretur.

Tristanus Patriarcham, qui reus tanti criminis habebatur, simulatque Utinum reversus fuit, ne Parentis mors maneret inulta, aliquidve decederet Savorgnanorum Gloriae, ad portam, qua ad Arcem conscenditur, sustulit, eius suppellectile in praedam data: Populusque in vindictam praeceps Noveraim, Christophorum Missulinum, Platartinum, et Nicolaum a Dominabus, qui Savorgnano adversari consueverant; statim iugulavere. Ita Praesul, qui in caedem peccasset, nequivit effugere, quin caesus sit. Sepelitur in Aede ad Arcem posita, mox in Basilicam Utinensem transfertur, ne quis in Cadaver, forsan in ludibrium, et contumeliam, irrita feritate saeviret. Sedit annis sex, mensibus undecim.

Antonius

Podagra Antonium Cajetanum in Joannis demortui locum suffectum, Ecclesiae parum utilem reddidit. Cardinalizia dignitate donatum fuisse constat, in quem Joannes Susannius docet, Topalici Arcem a Guilelmo translatam agris quibusdam permutationis titulo versa vice receptis anno 1397. Huius tempore Jacobinus ad Utinensis Ecclesiae Decanatum adscitus fuit; de quo nonnihil nobis sperandum fuisset ob singularem tum eruditionem, tum probitatem; si Cardinalem iam eventum fata, destinato vivendi fine tam repente non rapuissent. Sedit Antonius annis septem, mensibus duobus, Ecclesia Romana schismate laborante.

Antonius

Antonius, Caietano defuncto, alter successit a Portogruaro, quem a Gregorio Pontifice Patriarchatu dejectum Joannes

XXIII Pontifex restituit, paucis annis antequam ad Constantiam Concilium celebraretur. Deiectus hic fuit Pontificatu; per Procuratorem ille se abdicavit, posteaquam veluti profugus apud Civitatem Austriam delituisset. Per hæc tempora Ioanninus Ragoneas in Oppido Turris ab incolis Portugruarij, quod fraude occupaverant, cum uxore, et Liberis combustus est, uno excepto Federico. Unde tantum odij crudelitatis novitate contractum est, ut a Patriarcha, et Oppidanis conventu habito, in Incendiarios, et Carnifices arma protinus arrepta sint: tumultuatum est usque adeo per totam Regionem, ut passim omnia armis circumsonarent. Civitatensibus, Pratensibus, Purlilianis, Pulceniçis, Spellimbergensibus, Valvasonensibus, et Flemonensibus minime cum Patriarcha sentientibus, cum alijs tamen essent, quibus eius administratio perplaceret. Intestinis hisce conterraneorum seditionibus factum est, ut nil ferme minus vastata Provincia fuerit, quam si hostili rabie barbarorum exercitus invasisset.

Missi sunt Oratores ad Sigismundum mox creatum Imperatorem et ad Ortemburgi Comitem, ut in magno versantibus discrimine presto essent; non enim raro fit, ut ex intestinis bellis multo plus quam hostilia patiamur. Flemonenses, et Prampergenses pulsis Fontibonis magna armatorum manu Oppidum occupavrunt; Utinensibus vero cum equitatu, peditatuque non contemnendo eo properantibus deditionem fecerunt. Tristanus Savorgnanus Oppidum simulatque tenuisset usque ad Hungarorum adventum, Fontibonis restituit. Patriarcha cum Sigismundo, qui Duce Pippo Florentino in Patriam cum numeroso exercitu descendebat, fœdus in annos quindecim inijt, ut tanti Principis fultus protectione placidius gubernare Patriam posset. Savorgnanum hac tempestate ab Utinensibus, nescio quia pretextu, Tristani arrogantia, dum Patria procul se abdicasset, eversum est, quanquam et opibus et consilio more maiorum Patriæ salutem afferre consuevisset. Hungari Sacillum ceperunt, ac Portum Buffoletti nemine resistente, Motham vi captam, et Opiter:

Opitergium diripuerunt, quibusdam ex ijs apprehensis, qui Venetorum stipendijs militabant, manus abscindere, quas canistris impositas ad Coneglianenses, et Tervisinos miserunt, ut animum ad deditionem paterent sibi præsentem esse, multo aliogui graviora minitantes, quando cum ipsis pertinaciter obsistentibus ad manus iam ventum fuisset. At Patriarcha ubi annos VII sedisset, naturæ concessit, de cuius Successore Antonio de Ponte Concordienti Episcopo aliud non affertur, nisi quod Patriarchatus ut honorem nunquam inijt, ad quem a Gregorio Pontifice evectus fuerat, ita procul a Patriarchatu, et Episcopatu Romæ tandem curis prægravantibus diem obijt.

Ludovicus Thech

Apud Ludovicum Thechium, qui suffectus est Patriarcha, in locum Antonij demortui, cum Veneti instarent, ut Tristanus cum socijs et Patriæ, et fortunis omnibus restitueretur, quæ publicatæ fuerant, et divenditæ Sigismundi Imperatoris authoritate III Kal. Iunij 1413 (ut scribit Ioannes Candidus) Patriarchaqꝫ postulationem rejiceret, ne Imperatori, emptoribusqꝫ invisum se redderet, visum est ijs, qui tunc rem Venetam administrabant bello negotium dirimere. Quare cum exercitu instructo venientibus Venetis, cum quibus tunc inijsse fœdus, et amicitiæ Societatem Civitatenses non immerito gloriantur, Sacillenses se statim dederunt, cum S. Danielis incolæ Vormum superius per fraudem occupassent. Antistes interim ex Pañonia, quo ierat, reversus cum quatuor millibus Equitum, auctusqꝫ quorundam Castellanorum turmis Civitatem Austriæ obsidione cinxit, acriter defendente præsidiario Venetorum equitatu, peditatuqꝫ, vi quoque frigoris, nivisqꝫ cogente, motis post dies quindecim castris, retro in Pannoniam abijt. Inde Veneti Statam aggressi facile ceperunt, soloqꝫ æquarunt. Tristanus Portam quâ ex Utino ad D. Gottardum

est iter, a quibusdam suę factioni addictis patefactum per noctem clam ingressus, dum superveniente multitudine pugnam sustinere non posset, terga dedit. Mox cum Utinenses rem consultando biennium exegissent, sponte tandem veluti Dijs monentibus (bello enim victi non fuerant) felici sydere **Venetis** deditionem fecere anno Sa=
(a) lutis nostræ **MCCCCXX.** idib. Junij, qui dies inter faustos relatus est. (a)
Missi Venetias Oratores octo gratulationis causa, clementer, et

Meno qualche differenza insignificante, concorda col testo edito dal Muratori.

...t. Civile seditium
...atriarcharum tempore,
...ias volentes abstinere:
...in numerum Patricio:
...stituerentur, atque pre:
...qui emissent. Reliqua
...is, cum nihilosecius
...am obedientiam advolas:
...abuor armatorum
...rostulentem perpendens
...instituto destitit.
...acies, sed etiam ips:
...favorabile apud
...unquam sane postea
...dovicus vero cum
...stem perijt in Con:

Aloysius

Circiter id temporis, quo Leonardus Utinensis Frater Dominicanus Romæ disputando mentibus hæresi corruptis salutem attulit, qui Matri enascens capitis immanitate vitam ademerat, et Italianus Furlanus Philippi Vice comitis Clarti praerat, ab Eugenio IV Pont. Max. Patriarcha creatur Aloysius Patavinus Medicus locupletissimus, qui possessione prohibente Senatu

(a) Anno 1420 Die decima tertia junij Forojulienses Veneti deditionem fecere

Opitergium diripuerunt, quibusdam ex ijs apprehensis, qui Venetorum stipendijs militabant, manus abscindere, quas canistris impositas ad Coneglianenses, & Tervisinos miserunt, ut animum ad deditionem paterent sibi presentem esse, multo alioqui graviora minitantes, quando cum ipsis pertinaciter obsistentibus ad manus iam ventum fuisset. At [illegible] ubi annos VII sedisset, naturae concessit, de cuius S[illegible]
copo aliud non affe[illegible]
nunquam in ijs, ad qu[illegible]
ita procul a Patria[illegible]
pregravantibus diem[illegible]

Lud[illegible]

Apud Ludovicum[illegible]
in locum Antonij d[illegible]
nus cum socijs & [illegible]
publicatae fuerant, [illegible]
vitate III Kal. Junij [illegible]
postulationem rejicere[illegible]
redderet, visum est [illegible]
bello negotium divi[illegible]
nientibus Venetis, cu[illegible]
Societatem Civitatens[illegible] statim dederunt, cum S. Danielis incolae Varmum superius per fraudem occupassent. Antistes interim ex Pannonia, quo ierat, reversus cum quatuor millibus Equitum, auctusque quorundam Castellanorum turmis Civitatem Austriae obsidione cinxit, acriter defendente presidiario Venetorum equitatu, peditatuque, vi quoque frigoris, nivisque cogente, motis post dies quindecim castris, retro in Pannoniam abijt. Inde Veneti [illegible] aggressi facile ceperunt, soloque equarunt. Tristanus Portam qua ex Utino ad D. Gottardum

est iter, a quibusdam suę factioni addictis patefactam per noctem clam ingressus, dum superante multitudine pugnam sustinere non posset, terga dedit. Mox cum Utinenses rem consultando biennium exegissent, sponte tandem veluti Dijs monentibus (bello enim victi non fuerant) felici sydere Venetis deditionem fecere anno salutis nostræ MCCCCXX idib. Junij, qui dies inter faustos relatus est. (a) Missi Venetias Oratores octo gratulationis causa, clementer, et perbenignè ab inclyto Senatu suscepti sunt. Civile Iuditium Utinensibus permissum, utque sicuti priore Patriarcharum tempore, se regerent, criminal. ad vitandas discordias volentes absenuerunt. Placuit et Senatui, ut Tristano antea in numerum Patriciorum relato, socijsque reposcentibus adempta restituerentur, utque prętia cum publicis vectigalibus sancirentur ijs, qui emissent. Reliqua Provincia se deinceps in fidem Senatus dedit, cum nihilo secius ex Castellanis quidam antea Venetias ad prestandam obedientiam advolassent. Regressus Patriarcha cum millibus quatuor armatorum Manzanum cepit, ac Rosacium; verum Forojuliensem perpendens expeditionem multo periculosissimam ab instituto destitit. Non enim Veneti instructas solum habebant acies, sed etiam ipsorum nomen factum iam erat gratiosum, et favorabile apud Utinenses, Patriotasque reliquos, a quibus nec unquam sane postea prętermissum fuit benevolentiæ studium. Ludovicus vero cum in Patriarchatu vixisset annos plus minus septem, perijt in Concilio Basiliensi.

Aloysius

Circiter id temporis, quo Leonardus Utinensis Frater Dominicanus Romæ disputando mentibus hęresi corruptis salutem attulit, qui Marti enascens capitis immanitate vitam ademerat, et Italianus Furlanus Philippi Vicecomitis Castri prætorat, ab Eugenio IV Pont. Max. Patriarcha creatur Aloysius Patavinus Medicus locupletissimus, qui possessione prohibente Senatu

(a) Anno 1420 Die decima tertia Junij Forojulienses Venetis deditionem fecere

Senatu, adeptus non fuit ante Transactionem, quam sub his conditionibus legi initam anno MCCCCXLV. 14 Kal. Julij, ut Aquileiensis Civitas Patriarchæ, Oppidaque S. Viti, et S. Danielis cum mero mixtoque Imperio permittantur, et cum annuis eorumdem Oppidorum proventibus, constitutis quoque millibus quinque numorum aureorum in annos singulos habitas honoris ratione, utque res Spiritualis, et Ecclesiastica ditio per Universam Diœcesim ei maneret incolumis: Quidquid detractum pro impensis cederet in bellum factis. Scriptum reperio apud Beneventum Mirzetinum, Patriarcham Aquileiensem ultra Canippas, et Decimas Muglæ duodecim millia marcharum ad usum Curiæ in annuo censu habuisse, quarum quælibet marcharum quinque denarijs valebat, Authore Joanne Susannio. Ut si valoris retro habeatur ratio, noscas quo tunc progrederentur annui ex Patriarchatu proventus, marcha ibi se attollente ad usum Curiæ dicta. Patriarcha verò diem Romæ obijt, Fratribus duobus heredibus maxima ex parte relictis. Eius Cadaveri detracta Vestes, et annuli, sepulcro ab ijs exuto, quos ipse beneficijs honestaverat.

Marcus Barbus

Successit Marcus Barbus Patricius Venetus, ut et alij, qui sequentur omnes, ut magnis rebus natus, excellentique doctrina, et ingenio præditus, quem Vicentinum Præsulem Paulus secundus Pont. Max. Patruus Cardinalem, mox Patriarcham Aquilejensem creavit. Et ipsius Nepotis consilio, et industria in pace inter Federicum Imperatorem, et Pannoniæ, ac Poloniæ Reges, componenda, rebusque alijs magnis usus est. Toto ferè tempore, quo Sedi Aquilejensi præfuit, Romæ vixit, quò pergens Federicus ad insignia Coronæ accipienda, cum iter per Patriam faceret in Oppido S. Danielis hospitatus fuit an. sal. nræ MCCCCLXVIII.

Kal. Decemb. et Spilimbergi octava post anno Filia Regis Neapolitani, dum ad Sponsum suum Hungarorum Regem magno Equitatu traduceretur, quæ annis abhinc circiter 40 paternos Lares repetijt Alexandro VI Pont. Summo repudium ob mulieris sterilitatem ratum aucthoritate sua faciente. Incursionibus Turcarum hoc Præsule vastata bis Provincia fuit an. MCCCCLXXII, et an. MCCCCLXXVIII; qui tandem nullo Religionis, Pietatis, modestiæ, et Liberalitatis exemplo prætermisso, Romæ fato functus est.

Hermolaus

Mortuo Marco Patriarchali dignitate donatus est Hermolaus ille Barbarus, græce et latine usque ad miraculum doctus, ut admirari hominem Pontifex posset potius, quam pro merito honorare, ob virtutem summam cæteris Patriarchis non modo æquandum, verum etiam omnibus antæferendum. negata tamen illi Patriarchatus possessio fuit, ac si dignitatem sibi per summum scelus vendicasset, quod Venetum agens Legatum apud Pontificem præter Senatus consultum eam tenere acceptasset. Ad ipsum Picus Mirandulanus scripsit statim inquiens: Gratulor illis hominibus Pastorem optimum, toti Ecclesiæ militem strenuissimum, tibi tuæ virtutis illustrandæ, amplificandæque occasionem datam: Frequens est uti doctissimus in ore doctissimorum, vocat ipsum Picus Latinæ linguæ delitias, et bonarum artium omnium insigne promptuarium: Beroaldus doctrinarum asylum, ac Plinianæ eruditionis thesaurum. Adnotationes in Plinium luculentissimas edidit: Themistium de ingenio animæ, de primis rerum exordijs, de ratiocinandi scientia, nec non Dioscoridem ex græco in latinum transtulit; multaque alia composuit, quæ apud Viros politioris literaturæ aucthoritatis maximæ sunt. Ex Florentia ad ipsum Peste infectum Picus anthidotum quam

celerime

celerrime misit, quale in eo erat, ut Civitas ait, vel Romana periclitaretur. At eo nondum perlato, saeviente morbo multis Legationibus honorificentissime functus, Romae extinctus est, sepultusque in Ara coeli, ut non absurde inscriptum fuerit, quod

Non potuit nasci, nobiliusve mori:

immatura heu! morte bonarum artium studiosis praereptus, quem omnium luctu honoratus fuit.

Nicolaus Donatus

Ad Patriarchatum evectus est Nicolaus Donatus in Hermolaj Locum, non in postremis habendus, si utilitate metiri non omnia voluisses; nam apud Austriam Civitatem, non ob aliud, quam ad comminuendas impensas Sedem suam fixisse visus est: ipsum munus Scribarum, Cancellariam vocant, exemplo minime probando primus vendidit: Cum splendor Patriarchalis maior sit, quam ut id genus lucellis servire debeat. Moritur tandem, sepeliturque apud Basilicam Civitatensem, humanus alioqui Patriarcha, iustus ac probus.

Grimani Tres

Tres sequuntur Grimani Patriarchae, Dominicus, et eius ex Fratre Nepos Marinus, ambo Sacrosanctae Rom. Ecclesiae Cardinales, nec non Marcus ipsius Marini Frater. De Dominico dicere mihi non licet, antiqua servitute me ceu nonnihil suspectum initio repellente. Illi a Libellis fui annis VII, Hermanus tribus Filius meus, quousque vitam Consul cum morte commutavit. ut tamen uno verbo complectar omnia, talis erat, ut in eo nihil requirerem, quod ad Summum Patriarcham, Cardinalemque pertineret. Marinus, et Marcus vivunt adhuc indolem quandam Pontificiam praeseferentes, nec desinunt usque singulari virtute, et munificentia benevolentiam hominum promereri. Quo fit, ut nequaquam liceat

Diversorum Antistitum gloriam, quę paulò post ingentem accessio-
nem haud dubiè recepturà sit, à me nunc certis veluti finibus
claudi. De ipsis itaq: a Rogo scribent explicatius alij, et gra-
viori Stylo, deq: alijs in Patria gestis, quod ego ipse non possum,
qui de composito omissis externis in pauca contuli, quęcunque
habui, et premor quoq: temporis angustijs, dum Tabellionica occupa-
tione distringor. Non omitto Sęculum fuisse parum felix, ne
dicam deploratum, hoc nescio quonam pacto pertrahentibus fatis.
Excurrerunt Turcę avidi, et rapaces; laboratum est peste,
nec bello minus, quod vix intra annos quindecim finem invenit,
usq: adeò Germanorum animi Venetorum pecunijs inhiabant,
quarum Herodiano teste, hac in parte minimè mendaci, impri-
mis cupidi. Sunt quanquam Aloysius Mocenicus, et Hieronij-
mus Savorgnanus salutaria Patriæ Sydera, hic ad Osoppum,
ad Gradiscam ille fortissimè defenderent, immortali memoria
apud nos, posterosq: relicta. Regio tota intestinis dissidijs
labefactata fuit: Eiecti, trucidatiq: Turriani ab Antonio
Savorgnano, Nicolai illius Equitis Filio, qui Patriæ tranquil-
litatem vita chariorem semper habuerat. Imperium Patrię
Cęsar Venetis interrupit, non tamen retinuit. Sub Nepotibus
Forum Iulij non minus exactionibus novis attritum, quā tritici,
rerumq: ferè omnium penuria, nec magis antequam, post
Caroli V Imperatoris transitum. Hebręi ab Utinensi Civitate
pulsi, quos tamen ipsi Marino, ut omninò expellerentur, publico
consilio concessum fuerat, quod Christiani indigna multa ab eis
passi fuissent. Gentem perfidam generosi Civitatenses, olim
Venetis fęderati, nequidem separato vico recipiunt. In tam
adversis rebus hoc solatij nobis deniq: contigit; Nicolai enim Pontij
Pręsidis cura (quod minimè sperabatur effici posse) fons e Lazacco
in Cortinam publicis impendijs ad Columnam perductus est;
ne

ne suo spatio frandaretur Forum, pro quo ornamenti nihil Utini putandum est; et post hac multo celebrius fore Utinense nomen, si aquis tenuis fons perduret, aut vericis copie gratiam non amittat, cum suum Civitatenses fontem ante annos sexaginta quatuor et ducentos in Forum perduxissent. In laudem ego tunc Presidis, tum fontis hoc Tetrastichon lusi: — Lazarchi it liquor e iugo, sophos quem

Preses Contius omnibus ministrat:
O quae gloria! qui bibit viator,
Pro nullo ambitiosior Falerno est.

Locustae paulo post segetes everterunt, profectione in patriam multos dies agminatim continuata, unde Populi ad arma quodam veluti pannico pavore concitati sunt, ac si hostiles acies irruissent. Vivunt tamen Fratres Patriarchae, quorum virtute freti rebus quamquam misere afflictis, non temere spem ipsimet nobis facimus adhuc reliquam, ut sortem istam miserati, pristinam quietem, et iucunditatem Patriae reddant, cum saltem eorum alter, si non ante licet, ad summas rerum habenas evaserit; Dubium enim non est, quin rerum quas praeclare gesserint scriptores non paucos, et illos quidem longe graviores aliquando sortiantur.

70

7,5

5 fasc. dell' Antologia
pel D.r Grandi

9 fasc. della Bib. Ital.

1 = della Bib. Un.

Zanichetti e Bellini
pel P.r Prof. Pirona

N. B. Il fasc. della Bib. Ital.
marzo 1833. lo renderò
fra pochi giorni. —

Saggi del Petrarca
pel P. C. Poggio [illegible] —

Saluti.

Quos Aquileja dedit Procerum, dabit hocce libello
Authoris vitas, gestaque summa fides.

usque ad an. 1551